







Q. D. B. V.  
DE

Vol. 2.  
1730 13 15

REFORMATIONE  
PHILOSOPHICA  
CONDENDISQVE LIBRIS IN  
PHILOSOPHIA SYMBOLICIS

DISSERTATIO POSTERIOR,

QVAM

ANNO AVGVSTANAE CONFESSIONIS  
SECVLARI SECVNDQ

AD DIEM XXVI. IVLII

IN AVDITORIO MAIORI

PRAESIDE


SAMVELE CHRISTIANO  
HOLLMANNO

PHILOSOPHIAE PROFESSORE PVBLICO EXTR. EIVSDEM  
QVE ORDINIS ASSESSORE ET H. T. DECANO  
TYEBITVR

CHRIST. GOTTELOB IVNGNICCELIVS  
GADEGASTO-SAXO.

VITEBERGAE

LITTERIS EPHRAIMI GOTTLQV EICHSFELDII.



155  
P

1730





171.07

Q. D. V.

DE

REFORMATIONE  
PHILOSOPHICA

CONDENSATAE LIBRIS IN  
THEOSOPHIA SYMBOLICIS

DISSECTATIO POSTERIOR

QUAM

ANNO AUGUSTINAE CONFESSIONIS

SECVLARI SECVNO

IN ACADEMIA

IN AVDITORIO MAIORI

PRÆSIDENTE

SAMUELIS CHRISTIANO  
HOLLMANNNO

THEOSOPHICAE PROFESSORIS PUBLICO ESTE. HEDER  
QVI ORDINIS ASSessor ET A. DECANO

AVDITORE

CHRIST. GOTTF. IVINGICELIVS


CADEGASTO SAZO

VITBERGAE

AVDITORE THEOSOPHICAE







DE  
REFORMATIONE PHILOSOPHICA,  
CONDENDISQVE LIBRIS IN PHILOSOPHIA  
SYMBOLICIS.

DISSERTATIO POSTERIOR.

§. I.

**D**Edimus hactenus operam, vt insignem illam, maxi-<sup>Prioris dis-</sup>  
meque notabilem, quae in omnibus fere philoso-<sup>sertationis</sup>  
phiae, hinc theoreticae, hinc practicae, partibus,<sup>brevi</sup>  
temporum successu, tandem facta est, hodieque<sup>ἀνακρίσει-</sup>  
magno nostro commodo in iisdem praeferet, re-<sup>λαίωσις.</sup>  
formationem, quantum opus quidem erat, repraesentaremus.  
Non putauerim vero, fore facile quenquam, qui hanc philoso-  
phiae reformationem, seu emendationem, nullius, aut non  
magni saltem, momenti esse, serio censeat. Eo enim ipso non  
solum animum, in his eruditionis partibus plane hospitem,  
magno suo dedecore, manifeste proderet, sed maxime etiam  
se aduersus illos, quorum inprimis opera emendatio illa facta  
est, ingratum esse, satis quidem aperte indicaret. Quis enim  
non magni omnino faciendum duceret, pro nuda *vixandi &*  
*disputandi arte*, disciplinam habere, quae *viam ad veritatis co-*  
*gnitionem* planam facilemque in genere nobis commonstret;  
pro *obscurorum* vero & ineptorum *vocabulorum farragine*, vel

A

nudo



nudo etiam *terminorum* philosophicorum *lexico*, in quo conceptus, vocibus suis inuoluti, si modo saepius nonnulli subsunt, non aliter, ac scopae dissolutae, passim dispersi, atque inter se commixti, iacent, aliquam *primorum* demonstrandi *principiorum scientiam*, & *geometriam* quasi quandam *philosophicam*, habere? Et quem non mirifice delectaret, in philosophia naturali, pro *qualitatum & facultatum, occultarum, intentionalium, in distans agentium*, aliarumque eiusmodi, sensu vacuarum, vocum, sono *strepituque inani*, penitius *naturam, structuram & dispositionem, corporum mechanicam* perspicere, Deique artificis, qui ad vsus suos, finesque sibi praestitutos, sapientissime omnia conformauit, in iisdem sapientiam, bonitatem, prouidentiam, potentiamque, vere stupendam, & obseruare, & animo venerabundo mirari? Atque ut alia omnia hoc loco praetereamus, quis non magni omnino faceret, pro *confuso* quodam *doctrinarum moralium chaos*, praeceptorumque quorundam, sine certo quodam scopo, cohaesione & ordine, inter se cumulatorum, farragine, *disciplinas morales* habere, quae singulas *actiones nostras ad fines*, in vita humana obrinendos, *diuersaque felicitatis genera* assequenda, ordinate *dirigere* doceant, sicque mirum, quantum in omni vitae genere felicitatem nostram promoueant? Extra controuersiam ergo positum omnino est, quod maximo opere illa temporum nostrorum sit depraedicanda felicitas, quippe quibus ad illud demum perfectionis fastigium singulae disciplinae philosophicae euectae tandem fuerunt.

## §. II.

Dubium  
vero hic o-  
vitur, an  
omnino no-  
uis verita-  
tibus opus  
sit.

**D**iffiteri tamen hoc loco non possum, quod, uti de veritatibus, nouiter inuentis, in genere omnibus, ad quodcumque de cetero forum pertineant, ita de illis quoque, quae ad philosophiam inprimis pertinent, quarum maximus certe, in omnibus eius partibus, prouentus datur, illud mihi saepius exortum



ortum dubium fuerit: num *tanti* omnino, *nouae* alicuius *veritatis*, etiam illius, quae aliquo modo in felicitatem nostram in-  
fluit, *facienda* sit *inuentio*, vt longe propterea feliciores nos ma-  
ioribus nostris, quos illarum cognitio latuit, praedicare iure  
queamus. Videtur enim mihi cum nouis veritatibus quodam-  
modo non aliter, ac cum *nouis ciborum potuumque generibus*,  
comparatum esse, quorum omnium vsu facile possemus carere,  
si dudum cognitorum, simpliciorumque, nutrimentorum con-  
suetudo nobis sufficeret, neque illorum nos tandem, successu  
temporis, taedium caperet: est enim, in omni rerum genere,  
nouitatis semper, hominum animus, studiosus & cupidus. Fa-  
stidii ergo magis nostri, quam indigentiae, videtur esse indici-  
um, quando, veritatibus hactenus cognitis non contenti, nouas  
& quaerimus, & detegimus: non magis tamen propterea ma-  
ioribus nostris videmur esse praedicandi felices, quam quod  
variis hodie ciborum potuumque vrimur generibus, quae illis  
plane incognita fuerunt. Vti enim, vbi nouiter eiusmodi in-  
uenta ciborum potuumque genera ignota sunt, homines sim-  
plicioribus illis, a natura suppeditatis, non satiantur solum, vi-  
tamque suam conseruant, sed iisdem etiam, si moderate illis,  
& prout naturae id exigit necessitas, vtantur, mirifice simul  
oblectantur & recreantur (a); sic &, si aliae nullae nobis per-  
spectae

A 2

(a) Saepius hic mihi in mentem venit recordari eius, quod DIODORVS  
SICVLVS *biblioth. hist. lib. 1. de ichthyophagis, sinum Arabicum* accolen-  
tibus, inprimis scribit, quippe qui piscibus, post maris refluxum in ripis lit-  
toribusque relictis, maximoque cum gaudio ab illis captis, vel crudis, vel  
ad solem solum parumper tostis, non sine magna voluptate vescuntur:  
quando illorum vero inopia laborant, ossa etiam eorundem, in vnum an-  
terea congesta cumulum, in deliciis habent. Quoniam bene vero saturati,  
quod bibant, non habent, siquidem aquis marinis vti, ad restinguendam si-  
tim, nequeunt, aquae vero dulciores longius ab oris, circa quas vagabun-  
di erant, maritimis distant; agmine facto, singulis ternis, quaternisue, die-  
bus, iter ad aquarum dulciorum fontes, cum omnibus suis, etiam imbecil-  
loribus & infantibus, instituunt, easdemque tanta cum voluptate, atque a-  
deo auide, hauriunt, vt iisdem quasi inebriati, prostrati in terram, iaceant,



4  
 spectae forent, veritates, vulgo cognitae, passimque obuiaae, ad vitam nostram feliciter dirigendam, degendamque, sufficerent, neque aliis, ad promouendam nostram felicitatem, opus nobis foret. Atque hanc de veritatibus recens inuentis, illarumque praestantia, nostraque inde oriunda prae maioribus nostris felicitate, dubitationem saepius auxit tenerrimus ille, quo maioribus nostris bene, immo optime, semper cupimus, affectus. Aut enim, saepius cogitavi, haec illaue veritas recens inuenta, nouiterque facta in disciplinis & scientiis emendatio, absolute necessaria est ad felicitatem illam, qua carere in hac vita non possumus, assequendam, aut minus. Si illud, summa mihi agnoscenda erat maiorum meorum infelicitas & miseria, quibus carendum rebus illis fuerit; quod tamen, quum pro eo, quo illos prosequabar, affectu, nollem, tacite potius mecum statuebam, non fuisse illa ad felicitatem illam absolute necessaria. Quando hoc tamen cogitabam: quid ergo, saepius mihimet obieci ipsi, multo labore, multoque sudore, opus est, ad res, quibus tamen ad felicitatem nostram carere possumus, inueniendas, & quare non in veritatibus a maioribus traditis, tanquam in haereditate aliqua, acquiescimus, desinimusque tandem, rebus nouiter inuentis nos maioribus nostris praedicare feliciores.

## §. III.

*Cui quidem  
 dubio in  
 genere occur-  
 ritur.*

**I**Ta certe saepe inter *scyllam & charybdin* haerens, quo me verterem, nescii. Nec est, quod existimem, mihi illad, quicquid est, dubii soli forsan crucem figere, vel fixisse olim. Non enim

---

vixque reperere humi queant. Die autem integro fere praeterlapso ad capturam, esumque, piscium suorum, cum gaudio redeunt, maximamque adeo hi homines voluptatem ex hoc suo vitae genere capiunt. Nostrum vero, quis est, quem non, in tanta, qua iam circumfluimus, rerum omnium copia, vel fastidium horum eiusmodi alimentorum capiat, vel illorum saltem hominum, tanquam longe nobis infeliciozum, miserefeat, qui tamen omnibus hac sua inopia multo forsan magis contenti sunt, quam multi inter nos, qui omnibus deliciarum generibus, ad mollitiem fere vsque, disfluunt.



enim dubito, quin omnibus illis, qui non vel *quaestus* solum, vel *inanis* etiam *gloriolae, causa*, veritatis inquisitioni operam nauant, sed omnia hic ad *Dei* solum *gloriam, suamque*, atque *aliorum* hominum, promouendam *salutem*, referunt, saepius illa exorta fuerit dubitatio. Opus ergo omnino est, vt graue hoc ante omnia hic remoueamus dubium, vbi in depraedicanda, propter insignem in philosophia factam reformationem, temporum nostrorum felicitate hic inprimis occupamur. Non vnus vero eiusdemque omnia generis sunt quae scrupulum hic nobis mouent. Etenim verum quidem est, quod veritatibus recens inuentis pariter, ac antiquitus cognitis, certo quodam modo cum variis ciborum potuumque generibus conueniat, siquidem & hic non aliter, ac circa multa ciborum genera fieri solet, antiqua, optime licet comparata, taedium multis creare, solaque ea, quae noua sunt, saluam mouere solent; multa tamen adhuc sunt, quae in recens quidem inuenta ciborum potuumque genera, minime vero in veritates, nouiter detectas, quadrant, vnde simile hoc vltra tertium suum extendendum non esse, per se patet. Maneamus tamen in simili illo proposito, atque vel sic, opus omnino veritatibus nouiter vel inueniendis, vel iam inuentis, esse, facile commonstrabimus. Vti enim extra controuersiam est positum, quod multis olim maiores nostri alimentorum vsi sint generibus, quae, pro *iporum constitutione corporum*, ipsis optime, & ad vitam ducendam, & ad sanitatem conseruandam, & conducebant, & sufficiebant etiam, nobis autem, pro praesenti *nostrorum* corporum *indole*, nec conducerent, nec sufficerent; ita non minus, ceteris paribus, de veritatibus idem dicendum esse putauerim. Sufficiebant olim multae maioribus nostris veritates, ad res suas feliciter gerendas, suamque status integritatem vel conseruandam, vel prouehendam amplius, quae nobis hodie, vbi in maiori iam rerum luce versamur, non sufficerent amplius. Non enim *omnes*



in omnium temporum homines veritates conveniunt. *Alia, aliis hominibus*, opus *philosophia* est, uti ad alium pedem alio opus est calceo, aliique corpori aliud est aptandum vestimentum. Quod enim CVRTIVS alicubi de Alexandri M. militibus scribit: *cibus, quem occupant, satiat*; id, suo modo, de illis, qui confusa modo rerum cognitione imbuti sunt, dici quoque potest. Quaecunque enim se illis offert cognitio, facile illis sufficit, atque, si scrupuli quoque circa rem aliquam exorti fuerint, aut probatione aliqua opus sit, in leuiori etiam quacunque, atque confusa, responsione facile acquiescunt, quae illis tamen, qui distincta rerum cognitione gaudent, non sufficiunt. Non id vero *vitium intellectus* nostri est, quod ipsi non illae hodie amplius veritates sufficiant, quae suffecerunt nostris praedecessoribus, uti *corporis omnino vitium* est, quod non illis amplius contenti cibus sumus, quibus maiores nostri usi sunt. *Actiui* enim quid intellectus noster est, atque quotidie in rerum cognitione proficit, multasque adeo *claras, distinctasque*, de perquam multis rebus, *ideas* sibi acquirit, de quibus non, nisi *confusas & obscuras*, maiores nostri habuerunt. An ergo aequae ipsi potest verti vitio, quod illa ipsa, in veritatis cognitione, illi non satis amplius faciant, quae satis omnino maioribus nostris, pro obscura confusaque illorum cognitione, fecerunt, ac corpori, quod propter *auctam sensim imbecillitatem*, imminutumque robur suum, ea amplius alimentorum genera, quibus contenti maiores nostri erant, aliique hodiernum contenti sunt, capere nequeat?

## §. IV.

Tum multas veritates novas se, sua quasi sponte, nobis offerre, atque maioribus

VERUM de hac ipsa clara distinctaque rerum multarum cognitione, qua iam maioribus nostris antecellimus, quaerimus iam poterat, an illa ad felicitatem nostram necessaria sit, an vero minus, atque utrum horum admittamus, dubia illa se offerrent, quae iam antea (§. scil. II.) recensuimus. Paucis ergo, quid



quid hic censendam sit, dispiciendam nobis erit. Ante omnia <sup>nostris</sup> vero hic attendendum nobis esse putauerim, quod de multis <sup>multa v-</sup> saepius rebus *spon*te sua, atque *casu* fere, si ita dicere licet, <sup>nino ad</sup> *fortuito*, se multae nobis ideae clarae, distinctaeque, offerant, de <sup>veram fel-</sup> quibus antea obseuras, confusasque, modo habebamus, multa- <sup>citarem de-</sup> <sup>stuisse, osten-</sup> <sup>ditur.</sup> que non raro sola experientia nobis occurrant, de quibus non multum omnino laborauimus. Num vero fas est, illa, quae maiorem rerum cognitioni lucem afferunt, data opera repudiare, atque in tenebris potius, quam in luce, versari velle? His autem iam suppositis multa nobis in cognitione rerum amplius non sufficiunt, quae sufficiebant olim. Mutantur enim sic, successu temporis, hominum ingenia & mores, aliaque inde prodit temporum, quam quibus maiores nostri viuebant, conditio & indoles, indeque tenuis illa, qua maiores nostri imbuti erant, quaeque illis quoque quodammodo sufficiebat, veritatis cognitio ad promouendam & Dei inter homines gloriam, & nostram, aliorumque hominum felicitatem, hodie amplius non sufficit. Multis, iisque notatu dignissimis, id illustrari posset exemplis, si paginae praesentis angustia, atque illorum, quae nobis hic dicenda adhuc supersunt, id pateretur copia. De omnibus enim fere id valet praecudicis & opinionibus, quibus maiores nostri, citra omnem haesitationem & scrupulum, maxime quieti, rerumque suarum securi, fidem tuto adhibuerunt, in quibus nos tamen, postquam multa iam, quae his eiusmodi rebus lucem aliquam affundunt, detecta sunt, acquiescere hodie amplius non possumus. Huic accedit, quod multa saepe a maioribus nostris pro vero exploratoque habita sunt, ex quibus tamen multi grauissimique errores, etsi *actu ipso* apud illos consecuti non sunt, consequi tamen *potuissent*. Annon vero pro aliqua felicitatis parte habendum est, haec talia e medio sustulisse, illorumque detexisse *voſeicav*, quae, licet non semper damnum aliquod notabile attulerint, afferre tamen





tamen illud humano generi possunt? Et quis quaeso pro certo affirmauerit, perspectum id omne olim maioribus nostris fuisse, quod quidem ad *felicitatem* nostram & *temporalem*, & *aeternam*, & *intrinsicam*, & *extrinsicam*, scire nobis omnino opus est? Ex nostro enim, quo erga illos ducimur, *affectu* ad *rem ipsam* conclusio non valet. Neque enim ex eo, quod ipsi quoque vixerunt, quod aedes extruxerunt, agrum & vineas coluerunt, sui simile procrearunt, & eiusmodi alia, ad vitae praesentis conseruationem spectantia, fecerunt, colligere statim licet, quod nihil illis ad felicitatem nostram promouendam necessarii defuerit. Non enim, *num vixerint*, vitamque suam aliquamdiu conseruauerint, sed *quam bene vixerint*, quam pacifice vixerint, quam tranquille, suaque sorte contenti, vixerint, quantumque & in Dei cognitione profecerint, & ad gloriam ipsius, aliorumque hominum salutem, egerint, in controuersiam hic venit. Atque vt in summam omnia redigamus, *multa* maioribus nostris *defuerunt*, ad *pacem* atque *tranquillitatem publicam* conseruandam scitu necessaria: vnde saepius ab illis ad arma, cruentissimaque bella, quibus *multa* hominum millia misere caesa sunt, super eiusmodi prouolatum rebus est, de quibus iam, post vberiore rerum cognitionem, bene inter nos conuenit (b). Defuerunt ipsis *multa* ad *bene esse*, hinc *societatum integrarum*, hinc *singulorum hominum*, facientia: quis vero aspera & hiulca, quum plana strataque posset, incedere via mallet, aut digitis terram fodere, quum ligonibus possit? Defuerunt ipsis *multa* ad *varios*, quibus misere ex cruciabantur, *scrupulos animis* ipsorum *eximendos*, quibus hodie, post copiosiore cognitioni nostrae affusam lucem, non amplius vexamur. Defuerunt ipsis *multa*

(b) Loquimur hic vero de bellis, contentionibusque, potissimum priuatis, quippe quae saepius leuissima de causa, atque ex praesentissimo quodam errore, nobis hodie facile peruiso, orta sunt; quanquam nec inter publica bella, inter integras gentes gesta, ex omni fere aetate, eiusmodi exempla defuerunt, quae in antiquorum historiarum monumentis versanti passim occurrunt.



*multa, ad inuincam animi tranquillitatem & diuulgatam facientia;* vti eius rei exempla in multis nostrorum hominum, qui rerum philosophicarum cognitione destituuntur, hodiernum videmus, quippe quorum animi tranquillitas magis *negatiua*, quam *positiua*, est, atque magis ex deficiente legitimo rationis vsu, animoque rebus externis nimium distracto, tantumque disturbato, vt reuerti ad semetipsum, atque sollicitus de semetipso esse nequeat, quam ex sanae rationis vsu, oritur. Tandem & defuerunt illis *multa, ad vberiore[m] Dei, mundique, cognitionem* pertinentia, adeoque & multa, ad cultum Deo dignum praestandum facientia, sine quo tamen vix quisquam hominum officii sui, cuius potissimum causa conditus a Deo est, partes, pro rei dignitate, expleuerit.

§. V. *animos ad philosophiam non tantum praecipue, sed etiam ad naturam, non tantum ad philosophiam, sed etiam ad naturam, non tantum ad philosophiam, sed etiam ad naturam.*

**Q**vis vero haec non multa omnino, magnique momenti, esse dixerit, quibus maioribus nostris, ob multarum, nobis hodie perspectarum, veritatum ignorantiam, ad felicitatem suam carendum fuerit? Atque iisdem etiam omnibus hodiernum illis adhuc carendum est, qui illa rerum luce, in qua hodie iam versamur, destituti adhuc sunt, siue inter nosmetipsos iisdem viuunt, atque rationis suae culturam negligant, quo non homines solum de infima plebis fece, sed multi quoque, qui *eruditorum* nomine superbiunt, pertinent, siue inter *gentes barbaras* atque *incultas* degant, quarum non paucas hodiernum in extremis *Asiae, Africae & Americae*, immo & *Europae* nostrae, oris non deesse, satis inter omnes constat. Quis ergo non magni omnino scientiarum, inprimis philosophicarum, quippe quarum hi praecipue effectus sunt, incrementa & emendationes faceret? Non frustra ergo temporum nostrorum praedicamus felicitatem, quibus hae inprimis emendationes iam obtinent, illisque ipsis ad summum fere fastigium suum scientiae philosophicae iam perductae sunt. *Etsi ad paucissimos enim inter nos,*

*Quod idem  
de illis,  
qui hodie  
multarum  
recens  
inuentarum  
veritatum  
cognitione  
destituuntur,  
valet.*

B  
immo



immo & eos sigillatim, qui *eruditorum* alias nomen gerunt, felicitas illa re ipsa pertingit; vitia tamen haec concreti sunt, atque inde potissimum proueniunt, quod plurimi mortalium non tam de vera sua felicitate, quam victu potius atque amictu suo, solum solliciti sunt; eruditorum vero perquam multi non de *legitimis* studiorum suorum *finibus*, sed *pane* potius *lucrando*, solum cogitant, eoque omnia sua conamina, omnes labores suos, referunt. Vnde neque mirari oportet, si ex utroque horum genere, si non omnes, plurimi tamen, non maius ex illa temporum nostrorum felicitate commodum percipiant, quam, si illa plane non existeret, siquidem, dum id modo agunt, ut vitam *animalem* commode transigant, vitam *rationalem*, quae non, nisi legitima rationis cultura, comprehenditur, atque in qua tamen praecipua hominis dignitas consistit, vel plane negligunt, vel parum saltem curant. Quoniam illam enim quomodocunque commode, sine hac, agi posse, obseruant, longe autem magis illius, quippe sensibus illorum externis quam maxime gratæ, quam huius, immo illius vnice solum, amore ducuntur; quid mirum, si & illa omnia, quae ad vitam rationalem solum faciunt, fastidiant, solaque illa, quae ad animalem commode & iucunde transigendam pertinent, vnice & appetant, & sectentur? Ob horum tamen hominum vel neglectum, vel contemptum, suo non excidunt pretio, quae ad promouendam veram hominum felicitatem faciunt, adeoque, quoniam huc etiam omnia, quae ad *philosophiae* hinc theoreticae, hinc practicae, *emendationem* spectant, vel *directe*, vel *indirecte*, comparata sunt, valorem etiam suum, non obstantibus horum hominum iudiciis, eadem retinent. Nemo ergo nobis obiiciat, quod multi inter nosmetipsos dentur, quibus omnis illa, quae hodiernum in philosophia facta est emendatio, ignota sit, & qui non minus tamen ac illi, quibus illa omnis perspecta, cognitaque, est, commode, tranquilleque, vitam suam transigant; adeo-



adeoque nec emendationem illam, quae hodie in eadem locum habet, tanti, quanti a nobis quidem facta est, faciendam esse. Idem enim hoc foret, ac si quis propterea, quod in *eodem*, quem nos quidem inhabitamus, *orbe, iisdemque*, quibus nos vivimus, *temporibus*, homines dantur, qui, ob aliorum nutrimentorum defectum, modique illa praeparandi ignorantiam, *herbis, arborumque frondibus & radicibus, carnibusque piscium & animalium crudis*, vescuntur, non magni omnino faciendum esse, contenderet, quod nos iam *panem bene coctum* habemus, *carnesque elixare* prius didicimus, quam *iisdem* vescamur; aut qui propterea, quod homines pariter hodie adhuc dantur, qui nullis *aedibus fixis, nullisque fere vestimentis*, vtuntur, parui ducendum esse censeret, *fixa* habere *domicilia, corpusque & illis, & certis vestimentorum generibus*, a coeli iniuriis *defendere*. Scilicet illis omnibus, quibus factae hae emendationes, veritatesque eo ipso simul nouiter inuentae, ignotae sunt, omnibus etiam illis felicitatis partibus, quae inde pendent, carendum est, vti illi quidem ipsi, qui panes, cibosque, coquere, reliquos ignorant, aut aedibus, vestimentisque, destituuntur, omnibus quoque illis commoditatibus, quae cum his quidem institutis cohaerent, non sine magna grauique sua molestia, carent.

## §. VI.

**I**usto forsitan prolixiores fuimus, in hoc ipso remouendo scrupulo. Forte tamen non inutilem illis nauauimus operam, quos pungere idem, multumque in veritatis inquisitione creare & offendiculi, & impedimenti, solet. Et si vero hoc modum extra contouersiam positum est, quod illa, quae hactenus in philosophiae emendatione, multisque nouis inueniendis veritatibus, posita est, non inutilis, nec inanis fuerit, industria; de eo tamen dubitari iam adhuc posse videbatur: *num* in tanta rerum, in qua iam versamur, luce, *aliqua* adhuc emendatione *in posterum* opus sit, & annon tandem in illa, quae facta hactenus

*Num adhuc  
reformatio-  
ne aliqua in  
disciplinis  
philosophi-  
cis opus sit.*



nus est, subsisti, atque finis tandem reformandi philosophiam fieri, possit? Dubii autem sensus quaestio haec, ita formata, est, adeoque, quid proprie hic in controuersiam veniat, paulo clarius erit definiendum. Etenim quaestio *vel de eo est: num omnes veritates, hactenus cognitae, atque ad promouendam felicitatem nostram scitu & vtilis, & necessariae, ita iam plane perfecteque directae sint*, vt ultra id, quod hodie cognitum iam est, vel nefas, vel necesse saltem non, sit, aliquid addere, adeo quidem, vt *formulas* quoque quasdam *solemnis* praescribere iam integrum sit, quousque quisque philosophando, in quolibet argumento, progredi, vbi vero subsistere, & quid de quacunque re statuere, debeat? Atque si hic quidem quaestionis sensus est, pluribus de eadem deinceps dispiciemus. *Vel is etiam quaestionis huius sensus esse potest: num praeter eam, quae hodie iam, qua integras disciplinas, illarumque oeconomiam & dispositionem, in philosophia facta est reformatio atque emendatio, noua adhuc vel hodie sit, vel opus olim futurum, reformatione, an vero in illa, quae in iisdem facta iam est, acquiescere commode queamus?* Atque ad hanc quidem quaestionem, quin citra vllam haesitationem affirmando respondeamus, nulli omnino dubitamus. Non enim apparet, qui melius, ordinatiusue, vniuersum illud, circa quod philosophia versatur, obiectum pertractari facile possit, quam si illarum disciplinarum philosophicarum forma & dispositio, quam *priori dissertatione* (§. XIV. sq.) repraesentauimus, in eadem retineatur, siquidem huc omnia, quae circa res vel diuinas, vel humanas, in philosophia tractanda occurrunt, reuocari facile possunt. De *practica* sigillatim *philosophia*, seu ea, quae de *actionibus* nostris, secundum rectae rationis principia instituendis, exponit, iam supra a nobis dictum est (*prior. nempe dissert. §. XXIX.*); de *theoretica* vero, seu ea, quae de illis agit, quae *sciri*, ex solius rationis principiis, *de rebus vere existentibus*, possunt, paucis quoque



quoque id facile potest eninci. Quid enim magis adaequat-  
 um est, quam res omnes, vere existentes, in *materiales & imma-*  
*teriales* dispescere? Tertium enim praeter haec non datur.  
 Quid vero magis naturae illarum rerum conueniens est, quam  
 singulas illarum *peculiaribus* quibusdam complecti *disciplinis*, se-  
 orsumque de omni rerum materialium copia, iterumque de im-  
 materialibus quoque rebus separatim, agere. *Principia* vero,  
 ex quibus in omnibus, hinc theoreticae, hinc practicae  
 quoque philosophiae, disciplinis & partibus conclusiones, siue  
*immediate*, siue *mediate*, saltem, formemus, vt *peculiari* iterum  
 comprehendantur *disciplina*, omnino opus est: vti, quae in ge-  
 nere *ad animum*, *ad veritatis cognitionem* feliciter *praeparandum*,  
 imbuendumque, regulasque & cautelas, in omni nostra erudi-  
 tione & cognitione sedulo obseruandas, distincte, copiose, or-  
 dinateque pertractandas, necessaria sunt, *nova* iterum, atque a  
 reliquis separata, disciplina comprehendimerentur. Quo qui-  
 dem modo illae ipsae, quas in *priori dissertatione* iam com-  
 memorauimus, disciplinae philosophicae, hisque neque *plures*,  
 neque *pauiores* prodeunt (c).

## §. VII.

**I**N his tamen ipsis disciplinis philosophicis, legitime, & pro rei Quid inge-  
nere obser-  
uandum sit,  
circa disci-  
plinas phi-  
losophicas  
legitimo  
pertractan-  
das, quan-  
tumque 1) a  
determina-  
tione obie-  
vise et atque fi-  
nis alienius  
disciplinae  
pendeat, o-  
stenditur.  
 dignitate, pertractandis, magna omnino inter plurimos re-  
 centiorum philosophorum emendatione adhuc & reformatio-  
 ne opus esse videtur, quae quidem vt eo melius ab illis, qui phi-  
 losophiae operam aliquam nauant, atque circa conscribenda  
 inprimis *compendia*, vel *systemata*, philosophica versantur, aut  
 versaturi in posterum sunt, perfici possit, pauca, pro ingenii  
 nostri imbecillitate, quae huc quidem potissimum facere posse

B 3

(c) Pluribus forsân hoc alio adhuc loco excutiemus argumentum, vbi de va-  
 riis antiquiorum & recentiorum *philosophiam diuidendi rationibus*, data, quod  
 aiunt, opera, exponemus.



vifa nobis sunt, in medium afferemus, quo animum saltem nostrum, rei litterariae publicae, pro virium modulo, inferuendi, bonis omnibus comprobemus. Longe vero videtur alia philosophicarum, quam omnium fere aliarum scientiarum, quod *modum* illarum *tractandi* attinet, esse ratio. Etenim neque *superioris* cuiusquam *autoritate*, neque *peculiari* quodam *cognoscendi principio*, verbis conceptis proposito, definitum habetenus est, *quid, quantumue*, ad *singulas disciplinas* philosophicas referendum sit, quidque in iisdem pertractandum, quid minus, veniat, *quouue* *singula ordine*, quaeue *methodo*, in iisdem tradenda sint, & quae eiusmodi alia sunt, ita quidem, vt nec *necessaria*, atque ad disciplinam aliquam spectantia, omittantur, nec *superflua*, quaeque alibi referenda potius erant, eidem admisceantur (d). Ab ipsis ergo demum philosophis, qui ad disciplinas quasdam philosophicas pertractandas se accingunt, definiendum accurate est, quid ad huius illiusue disciplinae ambitum referre velint, quidque eius tractationem ingredi, quid minus, debeat, siquidem, multum hoc omnino ad solidam accuratamque alicuius disciplinae tractationem conferre, pluribus statim videbimus. Ante ergo omnia ab illis, qui aliquam philosophiae partem pertractandam in se suscipiunt, *obiectum* illius accurate *determinandum*, eoque ipso simul *de fine*, quem *tota disciplinae* illius pertractatione *proxime* intendunt, *dispicendum* illis, est, quo sic constet, quid hac illaue disciplina agere ipsis

(d) Vti v. c. per diuinam reuelationem, quid ad *theologiam* referendum sit, quid minus, definitum omnino est. De illis enim solum in theologia reuelata agitur, de quibus scriptura s. tanquam de rebus, ad *fidem & salutem relationem* aliquam *inferentibus*, agit, vnde ea modo ex vniuersa scriptura conquirenda, eoque ordine disponenda sunt, quo alterum alterius cognitionem praestruit, aut praerequirat. Sic enim non facile, vt vel peregrina atque aliena admisceantur, vel necessaria quoque omittantur, fieri poterit. Idem *de iure civili*, atque *canonico*, esto iudicium. Verobique enim iam norma aliqua datur, qua praecipua, ad ius vel civile, vel canonicum, referenda dogmata, iam comprehensa sunt, vt adeo sola illorum digestionem hic modo opus sit, quod quidem longe aliter in philosophia se habet.



ipsis sit propositum, quoque tendere omnes illorum meditationes & cogitationes debeant. Atque intra hos quidem terminos ita quoque quemlibet se tum continere oportet, ut nihil facile, quod ad obiecti sui pertractationem, finemque suum obtinendum, pertinere intelligit, omittat, nihil vero etiam peregrini, quodque a fine sibi proposito alienum esse vider, temere admisceat. *Obsectorum enim & finium considerationem integram disciplinarum philosophicarum pertractationem moderari oportet, totiusque systematis, tractandique ordinis, continere rationem, ita quidem, ut, quare haec hoc, & non alio, loco occurrant, hoc quoque se, & non alio, ordine excipiant, illius vero rei ratio non aliunde, quam quod hic, & non alius, circa hanc, vel illam, disciplinam nobis constitutus finis sit, hoc, & non aliud, in eadem pertractare obiectum constitutum nobis fuerit, sit petenda.* Fieri enim vix potest, ut, qui obiectum tractandique finem, circa disciplinam aliquam, rite prius constituerit, definiueritque, is ipse non ea quoque simul posset circumspicere, quae ad hoc obiectum, pro rei dignitate pertractandum, finemque hunc sibi propositum consequendum, facerent, nisi plane imparatus, rerumque omnium ignarus, ad disciplinae alicuius pertractationem se accingeret; quisquis vero haec negligit, de eo quoque non est, quod miremur, si varia eundem in disciplina aliqua videamus cumulare, singulaque tali disponere ordine, cuius ne ipse quidem rationem aliquam reddere postea sciat, cuius quidem rei exempla, eaque notatu valde digna, passim in recentiorum philosophorum scriptis sunt obuia (e).

## §. VIII.

(e) Nolumus tamen hic illa sigillatim adducere, partim, quoniam vel solis *capitum & librorum inscriptionibus* integrae essent complendae paginae, partim vero, quoniam ex sola illarum recensione non aequae, ac ex ipsa operis alicuius inspectione, iudicare de iisdem licet, multaeque circa generaliores capitum titulos & inscriptiones fingi a lectore rationes connectendi possunt, quae in opere tamen ipso desunt.



## §. VIII.

*Idem nouis  
ad huc con-  
firmatur  
rationibus.*

**N**on *unicus* vero hicce est, quem, ex generaliore hac obseruatione, in pertractandis disciplinis philosophicis, percipimus, vsus, sed *duplex* adhuc *alius* restat. Quoniam fieri enim aliter nequit, quam vt, vbi *obiectum* atque *finis* alicuius disciplinae definita accurate prius sunt, quam ad eiusdem pertractationem procedatur, singula, ad illius ambitum pertinentia, *meltiori* quoque *ordine* compareant, illamque inter se cohaesionem habeant, quam vtiusque illius consideratio postulat; eueniat eo quoque ipso simul, necesse est, vt *ab ipso illo* tractandi *ordine* singula quoque alicuius disciplinae capita *obriorem* *foenerentur* *lucem*, atque ad maiorem soliditatem multo accedant propius. Dicit enim vix potest, quantum ad soliditatem tractationis alicuius disciplinae conferat, si omnia a primis simplicissimisque in eadem incipientur conceptibus, & principiis, omniaque, ad illam pertinentia, eo collocentur ordine, vt nihil occurrat in sequentibus, quin suum iam in antecedentibus fundamentum habeat, ex iisque, instar conclusionis cuiusdam, intelligi possit & fluat. Sic enim demum *nexum veritatum* alicuius disciplinae perspicere discimus, sicque omnia demum vel euidentissima quadam ratione *demonstrare*, vel si hoc quidem fieri nequit, ad *summum* saltem *probabilitatis gradum* omnia *perducere*, valebimus. Quot vero, quantisque inanibus, olim, in philosophia controuersis superfedere poterimus, quando maiori paulo solertia, quam hactenus quidem a plerisque fere omnibus factum est, in id ipsum operam dabimus? Multae enim, caeque saepius sat graues, magnisque animorum motibus agitatae, controuersiae ex non satis determinatis vel uocibus, vel conceptibus, ortae sunt. Determinari vero illa non satis potuerunt, quia non iusto quaeque ordine erant tradita, adeoque neque ea praemissa, ex quibus intelligi ipsa demum poterant: vnde fieri aliter non potuit, quam vt obscurae vbi- que,



que, confusaeque, ideae remanerent, indeque mille quoque in conclusionibus confusiones & logomachiae prouenirent. Neque verò minus saepe aliae quoque, magni omnino momenti, controuersiae a determinatione obiecti atque finis alicuius disciplinae *immediate* pendent, quae tamen facile, hac modo obseruata, finiri possunt, qui iam *alter* adhuc obseruationis huius generalioris usus est. Constat inter omnes, quantae, inde fere a temporibus HVGONIS GROTHII, de *principio iuris naturalis primo, unico & adaequato*, controuersiae & dissensiones inter eruditos fuerint, quae quidem tandem effecerunt, vt alii propterea diserte negauerint, dari primum aliquod, vniuersale & adaequatum, eiusdem principium, indeque *plura prima*, pro officiorum diuersitate, *principia* constituenda esse censuerint (f). Quis vero putaret, totam illam, quanta quanta est, controuersiam inde vnice originem suam ducere, quod, qui ius naturae pertractarunt, obiectum eius non satis determinarunt, neque, qualis sibi iuris prudentia naturalis disciplina esset, quisque vniuersae illius tractationis proximus debeat esse finis, satis accurate definierunt. Etenim iuris prudentia naturalis *vel* talis disciplina est, qualis ex HVGONIS GROTHII, & SAMVELIS PUFENDORFFII, tanquam primorum eius, praecipuorumque, conditorum, sententia esse debebat, hoc est, *eiusmodi iuris* scientia, quod *omnes omnino homines*, cuiuscunque etiam de cetero nationis, religionis, regionis, linguaeque, essent, cuiuscunque iidem quoque subessent imperio, quaecunque etiam iura particularia haberent & colerent, in suis erga se, aliosque potissimum homines, obseruandis actionibus *obligaret*, adeoque iuris cuiusdam vniuersalis, inter omnes omnium terrarum &

C

tempo-

(f) Id quod in primis a h. D. BVDDEO in *elem. philos. pract. part. 2. cap. 4. sect. 1. §. 22. sq. autore anonymo in der vermischten biblioth. vol. 1. p. 567. sq. & illustri GRIBNERO in princip. iurisprud. natur. proleg. cap. 4. §. 12. aliisque, factum esse, inter omnes constat.*



temporum homines obseruandi, esset disciplina; *vel* talis etiam disciplina est, quae *in genere* nobis, quid secundum sanae rationis ductum, *ex diuina voluntate, in omnibus nostris actionibus*, erga nos, homines alios, ipsumque Deum, *agendum*, quid *omitendum* sit, in vniuersum exponat, adeoque *generalis* quaedam, *omnium actionum* nostrarum, ratione sola cognita, *norma* sit. Duplex enim hic diuersus respectus potissimum circa hanc ipsam disciplinam hodie obtinet, atque nemo facile inter doctores iuris naturalis est, qui non alterutrum horum, implicite saltem, atque subobscure, supponat atque admittat. Haec ipsa vero diuersa accipiendi ratio causa est totius illius, circa *principium iuris naturalis*, dissensionis. Etenim prout *posteriori* hoc modo iurisprudentia naturalis accipitur, impossibile omnino est, vnicum aliquod, generale & adaequatum, inuenire principium, quod officiis & erga nos, aliosque, & erga Deum obseruandis, deducendis sufficeret, siquidem ad actiones *erga nos, aliosque*, obseruandas sufficit, si *extrinsece* modo iuri naturae conueniant, ad officia vero *erga Deum interna* mentis deuotio atque rectitudo requiritur, quae si abest, illa plane nulla sunt. Quis vero haec, toto quippe coelo inter se diuersa, ex vno eodemque fonte deriuauerit? Prout iurisprudentia vero naturalis *priori* modo accipitur, primum aliquod, idque vniuersale & adaequatum, iuris naturalis principium dari omnino posse, iam alio quodam loco euidentissimis, luculentissimisque, rationibus a nobis confirmatum est (g). Quantum ergo in accurata *obiecti* alicuius disciplinae, eiusdemque *finis*, determinatione situm momenti sit, vel vnico hoc, maxime quippe illustri, exemplo, fatis, puto, constabit.

## §. IX.

*Praecipue  
vero id ad  
determi-*

**V**Ti hoc vero ipsum in *omnibus disciplinis philosophicis* obseruare

(g) In *institutionibus* nempe *iurisprud. natur. part. 1. cap. 2.* quae lucem hae-  
ui aspicient.



uare necesse omnino est; sic potissimum in pertractandis disciplinis *practicis* obseruatu illud opus hodie esse putauerim, ne in priorem illam, antiquamque, circa has disciplinas, confusio- nem relabamur. Neque enim feliciter quisquam ad *philosophiam* nandos ve-  
ros philoso-  
phiae mor-  
ralis & I.  
N. limites  
obseruare  
opus est. *moralem*, seu *ethicam*, hodie pertractandam se facile accinxerit, nisi, qualem illam disciplinam esse, quoue eandem a *iurispru- dentia naturali* differre modo velit, solícite prius definiuerit. Vnde, si in qua disciplina alia, hic certe inprimis, necesse esse putauerim, vt non sine omni praefamine quis disciplinas illas pertractare aggrediatur, quin nonnulla potius de illarum *natura atque constitutione*, tum & *origine*, *progressu atque incrementis*, prius, quam ipsa illorum dogmata prosequatur, *prolegomenorum* loco praemittat, in iisque, quid sibi in iisdem agere constitutum sit, paucis edisserat. Misere enim harum disciplinarum confusio dogmata moralia inter se permisceat, atque distorquet, ac, quoniam hoc modo maxime simul obscura confusaque fiunt, praecipuo eadem vsu suo priuat. In eo vero praecipuam discriminis illius, quod a recentioribus inter has disciplinas constitutum est, praestantiam sitam esse existimo, quod ad longe alios, totoque, quod aiunt, coelo inter se diuersos, in se tamen utrobique praestantissimos, maximeque necessarios, fines actiones nostras in his disciplinis dirigere iam docemur, siquidem *iurisprudencia naturalis* ad id, quod *uoluntati diuinae conforme est*, *ethica* vero, seu *philosophia moralis*, ad *felicitatem animi intrinsecam*, atque *tranquillitatem veram*, potissimum respicere, actionesque nostras eo quoque componere, docet, quae quidem tractandi ratio mirum inter varia dogmata moralia, sparsim hactenus, atque sine iusto ordine, & soliditate debita, a nonnullis tradita, consensum parit (h).

C 2

Vnde

(h) Attribuit haec philosophiam practicam pertractandi ratio etiam celeb. THOMAS MASIO, qui propterea in *fundam. I. N. & G. capit. proem. §. 12. octauam instituti sui rationem* esse dicit, vt errorem, in *institut. iurisprud. diu* qua commixtionem doctrinae ethicae & iuris naturae, a se commissum, hic e-



Vnde iam nobis quidem, vt verum ingenue fateamur, id minime placet, quod recentissime celeb. WOLFIVS in scriptis suis moralibus, magni omnino de cetero faciendis, hanc tractandi methodum deserit, atque Aristotelicam, philosophiam practicam pertractandi, rationem eidem praefert, torique suae philosophiae practicae fundamenti instar supponit (i). Non multae enim

mendaret, vnde *principia honesti*, quae ad *ethicam* refert, a *principiis iusti*, quae ad *ius naturae*, & *decori*, quae ad *politicam* spectant, sedulo a se inuicem discernenda esse, & in ipso operis titulo, & *loc. modo cit.* tum vero in opere ipso *lib. 1. cap. 4. n. 89. sq. cap. 5. n. 24. sq. & integro fere cap. 6.* saepius vrget. add. *observat. Halens. tom. 6. observ. 27. §. 57. sq.* Quod ipsius institutum adeo quoque communi fere eruditorum consensu approbatum est, vt plurimi iuris naturalis scriptores & commentatores, ab eo tempore, vel in ipsius operum suorum titulis, quos vocant, plerumque posuerint, quod in distinguendis *iusti, honesti & decori*, *principiis* inprimis laborent; quo vero successu id a plerisque factum sit, ipsi videant. Ipse certe THOMASIVS in eo quam maxime peccat, quod, etsi illa *inter se* quidem solite distinguit, omnia tamen ad iurisprudentiae naturalis disciplinam refert, in eademque pertractat: vnde praeter alia multa, quae in *fundam. lib. 1. cap. 1. §. 1. sq. ex pneumatologia, philosophia naturali & rationali*, pessime inter se commiscet, hoc ipso quoque loco non solum multa ad *philosophiam moralem*, seu *ethicam*, pertinentia tradit, fuseque persequitur, sed *integro etiam capite 2. de passionibus animi* agit, quod omnium confessione argumentum non ad *ius naturae*, sed *ethicam*, pertinet, quo & maximam partem, quod *cap. 3. de variis hominum moribus & bonis* tradit, referendum erat. Immo *cap. 6. eorundem fundamentorum*, vbi de *principio I. N. & G. & principii iusti, honesti, decori*, agit, etsi §. 4. disertis verbis scribit, principium I. N. quod ipse quaerat, debere esse *adaequatum*, vt *omnia & SOLA praecepta iuris naturae inde deriverentur*; §. tamen 19. *principium socialitatis, non male haecenus a se defensum*, iam tamen sibi, inter alia, vel propterea *discipere*, dicit, quod *praecepta honesti non adeo perspicue comprehendat*, vnde & eius loco §. 21. tale principium assumit, ex quo ipse deinceps §. 24. *sq. rum & §. 40. sq.* omnia *honesti & decori* principia simul deducit. Quomodo vero haec inter se cohaerent, bene Thomasi, aut quidnon in tua philosophia contradictorium est?

- (i) Agit enim is in den vernünftigen Gedanken von der Menschen thun und lassen, zu Beförderung ihrer Glückseligkeit, quae partem priorem eius philosophiae practicae constituunt, partis quidem 1. cap. 3. de modo ad summum bonum perueniendi, von der Art und Weise, wie der Mensch das höchste Gut, oder seine Glückseligkeit auf Erden erlangen kan, quod quidem dogma ad philosophiam moralem, seu ethicam, pertinet, vbi etiam multa, ad hanc discipli-



enim hoc modo solum doctrinae morales, quae felicite a fe inuicem discernendae erant, denuo inter fe commifcentur; fed illud etiam inde incommodi praecipue emergit, quod, sublato illo inter ius naturae atque ethicam discrimine, peccata, proprie dicta, ab *actionibus inſpidis & ſtultis*, quippe quae vel intrinſecam, vel extrinſecam, noſtram felicitatem ſolummodo laedunt, diſtingui ſatis nequeant, eoque ipſo neque, quid proprie *obiectum obligationis* noſtrae ſit, *conſcientiamque* noſtram laedat, quid minus, deſiniri accurate poteſt. Quod, quoniam intellexiſſe videtur Cl. THVM M I G I V S, mederi quidem his philoſophiae Wolfianae naeuis in *inſtitutionibus* ſuis, *latino idioma- te* editis, voluit, non ſatis tamen feliciter hoc ipſi ceſſit (k).

C 3

Non

nam pertinentia, aſſert, quo etiam nonnulla, quae *part. 2. cap. 2.* & *inprimis cap. 3. von den Pflichten gegen den Willen*, occurrunt, referri merentur. Vti vero, quae *part. 1. cap. 4. von einigen allgemeinen Regeln der Menſchen Gemüther zu erkennen*, tum & multa illorum, quae *part. 2. cap. 5. Von den Pflichten in Anſehung unſeres eufferlichen Zuſtandes*, nec non *part. 3. cap. 3. Von den Pflichten der Menſchen in Anſehung des Eigenthums* &c. traduntur, neque ad ethicam, neque ad *ius naturae*, ſed *regulas* potius *prudenciae*, in peculiari diſciplina ſeparatim tradendas, pertinent; ſic reliqua fere omnia, quae in hac parte priori adhuc occurrunt, ad *officia* hominum *abſoluta*, vt vocant, referenda veniunt, vt ea, quae in *parte poſteriori* eius philoſophiae practicae, ſive in *den unvernünftigen Gedancken von dem Geſellſchaftlichen Leben der Menſchen* &c. ab eo tradita ſunt, *officia* ſic dicta *hypothetica* reſpiciunt, quibus tamen multa, quae ad *prudenciae* *regulas* ſolum pertinent, iterum admixta ſunt. Ex quibus ſatis ſuperque patet, quod in vtraque hac philoſophiae morales parte diſcrimen illud, quod inter *ethicam*, *iurisprudentiam naturalem* atque *politicam*, hodie conſtitutum eſt, non ſatis obſeruatum ſit, quin celeb. potius WOLFIVS illis adhuc annumerandus eſſe videatur, qui *iurisprudentiam naturalem* ad *Ariſtotelicam*, philoſophiam practicam diuidendi, & pertractandi, rationem accommodarunt, de quibus iam in *priori diſſert. §. XXVII.* dictum a nobis eſt, quorum vero methodum nullo probare modo poſſumus.

(k) Ethicam is ipſe in *inſtitut. philoſ.* vti vocat, *Wolfianae, tomo poſteriori*, in *ius naturae*, philoſophiam *moralem* & *politicam*, totam philoſophiam *practicam* partitur; non in eo tamen ſolum peccat, quod in *inſtitutionibus* ſuis *philoſophiae practicae vniuerſalis*, quas diſciplinis hiſce omnibus praemittit, multa aſſert, quae partim ad *ethicam*, partim ad *iurisprudentiam naturalem*, referenda erant, ſed ipſas etiam haec diſciplinas ſaepe adhuc deinceps inter fe committit.



Non minori vero hic & illi laborare mihi videntur vitio, qui etsi discrimen inter ius naturas & ethicam admittunt, defenduntque, hanc posteriorem ramen *praeparationis* quasi loco solum *iuri naturae praemittendam*, quaeque in eadem traduntur, huc etiam solum comparata esse, censent, vt voluntas nostra ad officia erga nos, Deum atque alios, obseruanda quasi praepararetur (1). Etsi hoc ipsum enim per se omnino consequitur,

vt

tit, & praeterea quoque, in philosophia morali, Aristotelicorum *virtutes*, quas illi *intellectuales* vocant, prolixè *sect. 2. cap. 1.* explicat, ideoque *cap. 2. de acumine*, *cap. 3. de profunditate*, *cap. 4. de intelligentia*, *cap. 5. de scientia*, atque sequentibus capitibus *de soliditate*, *arte inueniendi*, *cultura ingenii*, *sapientia*, *prudencia* & *arte*, agit, quibus deinceps *sect. 3. virtutes Aristotelicorum morales*, diuersis capitibus, iungit. Verum quis non intelligit, priora isthaec non tam ad *philosophiam moralem*, quam *logicam*, potius pertinere, hocque adeo, ipsum nouam in hac disciplina confusionem parere?

(1) Facit hoc in primis *vir cl. IO. IAC. LEHMANNVS*, in *der neuesten und nützlichsten Art die so genannte moral, oder die natürliche Verbesserung des Willens, gründlich zu erlernen*, qui libro quidem *I. de voluntate*, eiusque emendatione, tum & summo bono, modoque ad illud perueniendi, atque huiuscemodi aliis, agit, (quanquam in eo mihi videtur ὕπερβον committere π ε ῶ τ ε ρ ο ν, quod prius de emendatione voluntatis, quam de voluntate ipsa, agit, siquidem de illa *capite* statim *p. 107. sq.* de hac vero demum *cap. 2. p. 129. sq.* exponit), tum & *methodum medicam*, a *PLACCIO, BV DDEO*, aliisque *vsurpatam*, ad tractationem suam applicat; non in *capitis* vero *tertii tract. 1. solum p. 280. sq.* de officii erga Deum & *tr. 2. p. 286. sq.* erga nosmetipsos, tum & tandem *tr. 3. p. 453. sq.* de officii erga alios, eum in finem breuibus exponit, tamet *vir daber ins besondre*, vt ipse *p. 285.* de officii erga Deum loquitur, *erkennen möchten, was diese Pflichten vor Vollkommenheit des Willens erforderten*; sed etiam libro postea *secundo*, diuersis sectionibus, adhuc docet, quomodo *voluntas praeparanda sit*, cum ad *regulas prudentiae*, tum quoque ad *leges* proprie dictas, *omniaque nostra erga Deum, nos & alios, officia* obseruanda. Dici vero vix potest, quantopere hac tractandi *methodo praecipua ethicae & iuris naturalis* hinc dilacerentur misere, hinc iterum inter se non vno modo commisceantur, capita. Praecipuum autem, quod hic, vi huius *methodi*, committitur, vitium in eo mihi videtur consistere, quod de *summo hominis bono, summaque eiusdem felicitate, modoque ad illam perueniendi*, hic exponitur, *libro scilicet priori cap. 3. tract. 1. sect. 2. p. 298. sq.* quippe quae omnia propter se appetuntur, & haec tamen omnia simul eo solum modo dicuntur tendere, vt *voluntas nostra ad officia nostra obseruanda solum praeparetur*. Quod quomodo conciliari inter se possit, ego saltem non video. Videtur vero, *vir clarissimus*, hic *BACONEM* de *VERVLAMIO* secutus esse *ducem*,



vt promptius facilius haec omnia officiorum genera a nobis obseruentur, quando voluntas nostra rite prius emendata est; maximam tamen in his ipsis disciplinis confusionem gignit, quando hic vnicus praecipuusque philosophiae moralis finis esse dicitur.

## §. X.

**P**roximum, quod ex obseruatione, haecenus explicata, con-  
sequitur, *alterumque* simul est, quod ad disciplinas philo-  
sophicas rite, & pro earum dignitate, pertractandas, necesse esse  
putamus, est, *vt ne diuersae disciplinae inter se commisceantur*, atque  
quae in pluribus distinctis pertractanda disciplinis erant, in  
vnam aliquam compingantur. Etenim illis, quibus *non inre-*  
*grum aliquod systema* philosophicum conscribere, sed *vnam*  
modo, *alteramue, disciplinam* philosophicam scripto consignare,  
propositum est, id admodum familiare esse deprehendimus,  
vt ea, quae, ad supplendum integrum tractationis suae nexum,  
sibi ex aliis disciplinis vsui esse posse, intelligunt, aut, quae ad  
vnus alteriusue suae disciplinae caput illustrandum facere, ob-  
seruant, in eadem simul afferant, vberiusue pertractent. Sic  
inter omnes constat, primos *logicae eclecticae scriptores, ano-*  
*nimum gallum*, qui *artem cogitandi* scripsit, LOCKIUM, alios-  
que, integram fere suam eruditionem philosophicam in libros  
istos conguessisse, siquidem, arrepta, ab obseruatione quadam  
logica, occasione, de multis argumentis *physicis & moralibus* co-  
piose disserunt, eademque non aliter, ac si in conscribendo  
philosophiae vel naturalis, vel moralis, systemate versarentur,  
vberius

qui de *augment. scient. lib. 7. cap. 2. p. 446. sq.* id quoque a philosophia mo-  
rali, seu ethica, postulat, vt doctrinam quidem de officiis tradat, sed ea-  
tenus saltem, quatenus eo ipso *homines ad societatis commoda conformes red-*  
*dat & bene affectos*, tum & p. 453. *quatenus animi singulorum, ad societatis vin-*  
*cula tuendi, instrui & praedispomi debeant*, et si in eo non vnicum huius discipli-  
nae finem, & scopum praecipuum, quod et quidem LEHMANNVS face-  
re videtur, ponit.



vberius prosequuntur, quod tamen nemo ab illis, illo loco, vel postulat, vel expectat. Quis enim in LOCKII de intellectu humano libris doctrinam physicam de soliditate & duritie, de spatio & loco, atque num spatium & corpus idem sint, an vero differant, numque vacuum in natura detur &c. doctrinam metaphysicam de duratione & tempore, de finito & infinito, doctrinam moralem de affectibus, variisque illorum generibus & distinctionibus, de voluntate & libertate, & eiusmodi alia plura, quaereret, quae tamen passim in iisdem fusius proponit (m)? Et quem latet, quod MALEBRANCHIVS, in libris suis de inquirenda veritate, vniuersam fere philosophiam Cartesianam, omnesque fere de eadem exortas controuersias physicas, theologiae naturalis & morales, nobis exhibeat, admodumque fuse de illis omnibus sententiam suam passim edisserat (n)? Eodem vero recentissime vitio celeb. quoque IO. PETRI DE CROSA logicae systema, iuxta principia, ab ipso in gallico opere posita, latine editum, laborat, quippe in quo idem non solum de voluntate humana & natura libertatis prolixè agit (o), integramque de affectibus doctrinam copiose exponit (p), sed plurima etiam dogmata metaphysica eodem complectitur, dataque opera de iisdem agit (q), vt alia multa, ad logicam plane non pertinentia, neque vilo modo ad eandem referenda, quae passim huic operi, non sine magno lectoris taedio, inserta sunt, iam taceamus. Quo vero haec omnia pertinent, nisi vt ipsum disciplinae alicuius systema turbent, atque lectoris animum mirifice distrahant, quo minus integrum eiusdem nexum, si quis modo in eodem est, rite perspiciat? Alii alio modo diuersas inter se disciplinas commiscet, quando ea, quae sibi in huius vel illius disciplinae pertractatione aliunde supponenda esse intelligunt, in eandem inferunt,

(m) Vid. eius lib. de intell. hum. in lib. 2. cap. 4. 13. 14. 17. 20. 21. &c. (n) vid. v. c. idem l. c. lib. 6. part. 2. cap. 4. & 9. item lib. 3. part. 2. cap. 6. alibique passim. (o) vid. part. I. sect. 1. cap. 13. p. 134. sq. operis citati Geneuae 1724. editi. (p) l. c. cap. 14. sq. p. 160. sq. (q) vid. l. c. sect. 2. cap. in primis 5. sq. p. 341. sq.



ferunt, atque tanquam domesticum propriumque ipsius dogma pertractant. Sic ipse PUFFENDORFIVS, quoniam nullum naturae ius, proprie ita dictum, & quatenus superioris cuiusdam voluntatem denotat, locum habere, aut inculcari hominibus posse, probe intelligebat, nisi illi, quos obligare illud debet, de *existentia Dei* conuicti prius fuerint, operam dat in suo de officio hominis & ciuis libello, vt existentiam Dei argumentis quibusdam demonstraret, quod tamen non huius, sed alius plane, loci erat, atque ex *theologia naturali* iam supponendum (r). Vnde patet, quod male, hoc in passu, ipsum alii, in suis philosophiae practicae systematibus, secuti sint. Sunt quoque, qui, quoniam ad *philosophiam moralem*, digne pertractandam, rectum rationis vsum praerquiri obseruant, copiosius etiam de *intellectu humano in genere, hominisque ratione*, generatim considerata, tum & de *rationis vsum, moribusque intellectus*, aliisque eiusmodi, quae partim ad *philosophiam rationalem*, partim ad *pneumatologiam*, pertinent, ex instituto agunt, quo inprimis celeb. D. BVDDEI exemplum pertinet, quem incautus postea nonnulli iterum secuti sunt (s). Omnes tamen reliquos, disciplinarum confusione, facile vincit CHRISTIANVS THOMASIVS, in *fundamentis I. N. & G.* de quo videantur, quae supra iam ad §. IX. a nobis dicta sunt.

## §. XI.

NON est vero, quod quis putet, parum omnino, quantum ad rem ipsam attinet, referre, quo dogmata quaedam philosophica

Non enim  
eodem re-  
dit, quo  
quidvis  
tractetur  
loco.

(r) Vid. *l. c. lib. 1. c. 4. §. 2.* (s) vid. eius *elem. philos. pract. part. 1. cap. 2. sect. 1. §. 2. sq. sect. 2. §. 4. sq. & cap. 3. §. 3. sq. &c.* Est autem peruersa haec tractandi methodus inde ipsi potissimum orta, quod *vir celeb. philosophiae moralis* compendium prius, quam *logices*, conscripserat, vnde multa dogmata logica, ad doctrinae moralis pertractationem necessaria, huius ipsius systemati inseruit, quae, si a logica scribendi fecisset initium, procul dubio ad eandem retulisset.



sophica loco pertractentur, atque, num ad *philosophiam moralem*, an *rationalem*, aut aliam quamcunque partem, referantur, dum ipsa modo, prouti par est, tradantur. Non enim ad rem ipsam, sed tractandi solum methodum, quae libera omnibus esse debeat, haec vnice pertinere, adeoque nec esse, cur adeo seculosi ea de re simus. Etenim praeterquam, quod *intellectus eiusmodi diuersarum scientiarum miscela* maximopere in *distincta veritatis cognitione turbatur*, ipseque misere confunditur; impossibile quoque est, nisi singula in sedibus sibi propriis pertractentur, vt quis ad *solidam rerum cognitionem* perueniat. Sunt enim singulis scientiis *peculiaris* sua, ipsisque *propria*, fundamenta & *principia*, ex quibus ordine suo deriuandum est, quicquid de illarum obiectis sciri potest. Quomodo ergo ad solidam alicuius rei cognitionem peruenerit, qui eandem extra debitum cum suis principiis nexum pertractare aggreditur, adeoque illis omnibus destituitur, quibus ipsi ad distinctam solidamque rei cognitionem erat opus? Quod ergo membrum aliquod corporis, a trunco suo resectum, id dogma aliquod philosophicum est, extra nexum cum suis principiis spectatum, aut ab iis potius auulsum & separatum. Et vita enim omni, & vsu quoque suo, & nitore tandem, sibi alias proprio, destituitur. Neque tamen propterea statim sequitur, quasi nulla, ad hanc illamue scientiam, vel disciplinam, pertinens, doctrina demonstrari solide posset, nisi integrum illius conscribatur systema; sed hoc modo volumus, non debere *diuersa*, ad *diuersas plane disciplinas pertinentia*, dogmata in *integrarum disciplinarum pertractatione* inter se misceri, sed quaelibet porius sedibus suis propriis relinqui, atque, siquidem in aliis quibusdam disciplinis ipsis opus sit, ex iisdem potius supponi, quam confuse, minusque ordinate, tractari. Quodsi aliter enim fit, maxima disciplinarum oritur confusio, neque video, quid obster, quo minus sic omnia, ad philosophiam pertinentia, dogmata in vnam aliquam



quam compingamus disciplinam, vti *coqui miscent iura truis*, aut quare sic omnino aliqua disciplinarum distinctione opus sit.

## §. XII.

Quoniam ob insignem ergo obiectorum diuersitatem aliqua disciplinarum philosophicarum distinctione nobis omnino opus est, vel ex ipsis vero, haecenus adductis, exemplis satis patet, quod, non obstante illarum discrimine, adeo *arcto coniunctiu pertractandae, neque a se inuicem separandas sunt.* singulae fere disciplinae philosophicae *vinculo* inter se *cohaerent*, vt altera vel alterius cognitionem necessario iam supponat, vel non magnum saltem, sine reliquis, vsum habeat; id iam necessario exinde consequitur, quod, si qui sunt, qui digne, & prout res ipsa postulat, philosophiae operam nauare cupiunt, non *vnam alteramue*, quod multis hodie solenne est, disciplinam solum *seligere*, eique se totum tradere, sed *singulas* eo, quo inter se cohaerent, atque quo se mutuo vel supponunt, vel respiciunt, ordine *pertractare* debeant. Etsi id ipsum enim parum *ad sperandam* in philosophia *reformationem* facere videri poterat, num, qui eidem operam nauant, integram eandem pertractent, an partem eius aliquam solum calleant, siquidem philosophiae ipsius perfectioni nihil eo ipso vel accedere, vel decedere, videtur; multum tamen id ipsum omnino huc conferre, facile potest ostendi. Quodsi enim quis vni modo alicui disciplinae, sed tali, quae ad vberiores suam reformationem alias quasdam iam praerequirat, operam dederit, illorum autem omnium, quae hic iam praerequiruntur, expers fuerit, tum non ipse solum nihil facile ad ampliores eius emendationem conferet; sed illis etiam, quae ab aliis, ex fundamentis, ipsi ignotis, ad nonnullarum eiusdem disciplinae thesum emendationem, afferuntur, strenue aduersabitur & contradicet. Saepiuscule enim id in omni vita humana contingit, vt, quod quis adsequi non potest, id ipsum vituperare malit. Quodsi



vero praeter haec adhuc contingit, ut is, qui eiusmodi rerum cognitione imbutus non est, apud alios tamen auctoritate quadam in sua, quam eallet, forsitan etiam publice docet, disciplina polleat; facile is auctoritate sua efficiet, ut alii, eadem ipsa confisi, tentatis nouiter doctrinarum quarundam emendationibus nullum locum relinquunt, sicque maximum veritatis cognitioni impedimentum obiciatur, ut alia eiusmodi plura taceamus. Quodsi vero vel maxime nihil id ad vltiorem ipsius philosophiae emendationem faceret; extra controuersiam tamen est positum, quod *ipsorum illorum*, qui philosophiae operam dant, maximopere *interfit*, ut omnes atque singulas inter se disciplinas coniungant. Est enim philosophia *unum* aliquod *corpus compositum*, cuius, *disciplinae* eiusdem, totidem modo vel *partes*, vel *membra*, sunt. Quid vero iuuat, aliquo suo membro mutilatum habere corpus, aut quis magni statuum aliquam fecerit, *cui* praecipuum aliquod, ad eius integritatem, membrum deest? Quis ergo & illam philosophiae cognitionem aliquo in pretio haberet, quae manca est, & mutila, quaeque insigni quadam sui parte caret. Omnes ergo & singulae inter se iungendae disciplinae sunt, siquidem sic demum toti philosophiae corpori sua & dignitas, & elegantia constat. Et si enim omnia, quae in philosophia traduntur, ad *praxin* tandem vltimo tendunt, adeoque *philosophia practica*, eiusque cultura & vsus, *vltimus* omnino noster, quo omnia tendere in philosophia debent, *finis & scopus* est; multa tamen haec iam praesupponit, quibus ad eius cognitionem omnino opus est. Quomodo enim ad *veram animi tranquillitatem* perueniet, qui *mundam* non intimius nouit, atque quam fragilia, quam caduca, ipsius bona sint, quam nihili omnino facienda, penitius perspexerit? Quomodo *Deum* etiam pro *summo suo bono* agnouerit, quomodo ad *eius* quoque *voluntatem* actiones suas lubenter composuerit, nisi, qui de *eius existentia, sapientia, bonitate*, reliquisque perfectioni-



ctionibus, persuasus prius in *theologia naturali* fuerit? Vnde autem de his omnibus persuadebitur, nisi ex *mundo*, existentiae atque perfectionum diuinarum speculo, cuius distincta, atque ad hunc finem potissimum comparata, cognitio in *philosophia* demum *naturali* traditur? In his vero omnibus, quis quicquam *solidi* profecerit, nisi qui generalioribus veritatis cognoscenda hinc cautelis & adminiculis, in *philosophia rariionali*, hinc fundamentis, primisque principiis, in *philosophia prima* imbutus & adiutus fuerit? *Versa* vero *vice*, quid de generalioribus hisce veritatis cognoscendae cautelis, distinctum satis habere conceptum, iuuat, nisi illas etiam ad ipsam Dei, mundi, nostrorumque ipsorum, cognitionem applicemus? Quid de generalioribus nostrae cognitionis principiis, nisi legitimis quoque in harum ipsarum rerum cognitione, discamus inde formare conclusiones? Quid mundum vero, omniaque in eodem corpora totalia & partialia, illorumque structuram, motus, motusque leges, & eiusmodi alia plura, nosse iuuat, nisi Dei exinde agnoscamus existentiam, sapientiam, potentiam, omnesque perfectiones eius reliquas. Philosophiae enim naturalis studiosus, qui in sola rerum naturalium cognitione subsistit, inque minima quidem omnia, summa hic solertia, soliciteque, cum vero saltem in finem, inquit, *ut ea modo sciat*, rerumque naturalium indolem penitius perspiciat, animum vero suum ultra haec ad altiora non eleuat; is quidem mihi non ablimilis illi esse videtur, qui perspicilla quidem acutissima habet, uti vero iisdem nescit, aut in mediis etiam tenebris iisdem utitur. Quid enim creaturae aliud, quam totidem perspicilla, sunt, quibus mediantibus *τὰ ἀόρατα τῆς Θεῆς*, inde a mundi creatione, cognoscimus (t). Quid vero aliud, nisi meras videmus tenebras, nisi haec, mediantibus illis, perspicimus? Deum vero, quid cognoscere nos iuuat, nisi & illum colamus, nisi pro sum-

D 3

mo

(t) Dicente apostolo *Rom. I, 20.*



mo eundem bono nostro habeamus, nisi & actiones nostras ad voluntatem eius componamus? Atque haec quidem totius nostrae philosophiae summa, haec vltima linea, est: sed ex hoc ipso simul quoque patet, quam arcto singulae disciplinae nexu inter se cohaereant, vt altera alteram vel praesupponat, vel tanquam scopum suum praecipuum respiciat, adeoque ad dignam philosophiae tractationem necesse quoque est, vt nulla a tam venusto corpore pars auellatur (u).

## §. XIII.

*Quid de lexicis philosophicis censendum sit.*

VTi maximam ergo philosophia dignitatem atque elegantiam suam, ab adeo apta singularum suarum partium cohaesione, habet, haecque ipsa etiam multum ad solidam eiusdem pertractationem & cognitionem confert; sic ex hoc ipso iam facile iudicare licet, num ad promouendam philosophiae commendationem, eiusdemque amplificandam inter homines scientiam, conducatur, *lexica* quaedam *philosophica* condere? Idem vero hoc mihi videtur esse, ac quaerere: num elegans quoddam, omnibusque suis numeris perfectum, corpus, *statuam v. c.* in partes & frustra dissecare, haecque hinc inde dispergere, magis, quam omnibus suis apte inter se cohaerentem partibus seruare, conducatur? Ad quam quidem quaestionem nemo, putauerim,

(u) Duo inprimis nobis hic vitanda extrema sunt, quae multis, magnisque, nostrorum temporum, philosophis familiaria esse obseruamus. Alii enim philosophiae naturali, scientiisque mathematicis, solum dediti sunt, infinitisque in iisdem sectandis minutis totam fere vitam suam, sine certo quodam scopo, aut sine practico, transigunt, omnemque fere, vti philosophiam moralem, sic ipsam quoque theologiam naturalem, inter medias istas curas suas, quibus adeo anxie inhiant, negligunt, & obliuioni feretradunt: alii vero, qui morali philosophiae operam dant, adeoque rebus practicis, proximumque in vitam, felicitatemque humanam, influxum habentibus, assueti sunt, subtiliorem & accuratiorem illam, in philosophia naturali, & mathefi physica, philosophandi rationem, tanquam inanes speculationes, reiciunt, illasque otiosis solum ingenii relinquendas esse, censent. Pessime vero, maximoque cum horum eruditorum detrimento, haec sibi ab illis opponuntur, & ab inuicem diuidentur, quae amicae potius manus debebant iungere.



rim, adeo tenui rationis usu gaudebit, ut affirmando respondere possit. Quid vero aliud, quaeso, qui lexica philosophica condunt, faciunt, quam ut elegantissimum philosophiae corpus, quod omnem suam, uti venustatem & elegantiam, sic & soliditatem atque robur suum, a partium suarum cohaesione habet, in frustra eiusmodi minima partiantur & secent, eoque ipso omnem ipsi & vitam, & vigorem, adimant? *Conceptus* enim, in ipso philosophiae systemate, arcte inter se *cobaerentes*, alterque ex altero optime proximeque consequentes, hic non aliter, ac scopae dissolutae, passim *disparguntur*, ut, qui in vnum eosdem, ex dispersione illa, locum cogere iterum vellet, infinito fere eundem defungi oporteret labore. Quid vero, quaeso, hoc ipso efficitur aliud, quam ut multa, quae in totius nexu systematis *paucis*, *clare* etiam, atque *distincte*, dici poterant, nunc, postquam totum corpus in frustra dissolutum, omnibusque nervis, atque ligamentis suis, exutum est, non nisi admodum *multis*, & tamen *nec clare, nec distincte* aequae, repraesentari queant. Quicquid paucis enim in totius systematis nexu dici poterat, eo quod antecedentia & consequentia integritatem sensus suppleant; id perquam multis utique efferatur, necesse est, ubi ab antecedentibus atque consequentibus suis idem auulsum est: ut modo pateat, quid quiduis sit, quo pertineat, ex quibus consequatur principiis, quibusque nitatur fundamentis, quae ipsa tum quoque pluribus adhuc demonstranda sunt, & quae eiusmodi sunt plura alia. Neque tamen sic statim efficitur, ut aequae clare & distincte, ac in ipso quidem systemate, singula possint cognosci. Non enim, quae ad rei alicuius cognitionem *praerequiruntur*, in *quolibet* eiusmodi lexici articulo, possunt *supponi*, siquidem non eo, quo ipsi se conceptus excipiunt, sed quem litterarum alphabeti series postulat, ordine iidem se consequuntur; neque eadem etiam facile seorsim in quolibet articulo



culo possunt exponi, siquidem vna eademque res alias saepius, in diuersis articulis, de nouo esset tradenda, saepius quoque in eiusmodi rebus, quae multas alias veritates praesupponunt, integer semper totius systematis nexus esset repraesentandus, quod & taediosam prolixitatem, & inutilem vnus eiusdemque rei repetitionem, efficeret. Quoniam hoc ipsum vero posterius in lexicis philosophicis plerumque ne locum quidem habet; illud in plerisque quoque relinquitur, vt *multa* nempe *obscura* & *confusa* in illis maneant, quae *clare* & *distincte* in systemate quodam, apte inter se cohaerente, dici potuissent, id quod recentissimis multis, alio tamen loco a nobis afferendis, exemplis confirmari facile posset, si praesentis nostri instituti id patere-  
retur ratio. In *omnibus* ergo *aliis scientiis* facilius, quam in *philosophia*, tolerari *lexica* possunt, siquidem in nullis fere aliis adeo necessarius, quam in hac quidem, conceptuum nexus requiritur, si solide pertractari debeant. Videtur autem mos ille, in *philosophia* quoque quaedam condendi *lexica*, non aliunde esse exortus, quam quod in plurimorum haecenus philosophorum systematibus non multo arctior, quam in lexicis quidem, conceptuum nexus datur, vnde fieri omnino aliter non potuit, quam vt multis, ad ordinem alphabeticum eosdem reuocare, non adeo alienum a *philosophia* esse videretur (x). Quodsi in hac ipsa vero opinione hodie persistimus, non est, quod multum nobis de vlterioribus *philosophiae* incrementis promittamus. Is *unicus* enim *lexicorum* philosophicorum *effectus*, & *usus*, est, vt homines, rerum philosophicarum expertes, *diuersas* philosophorum, de variis argumentis philosophicis, *sententias* sibi perspectas atque familiares reddere, eoque ipso imperitioribus fucum, emendicata

(x) Nonnulli enim id modo in disciplina aliqua pertractant, quod ab aliis in eadem pertractari solere, obseruant, vnde nullus apud illos ordo, nulla cohaesio, nulla posteriorum ex prioribus demonstratio, est.



dicata sua rerum philosophicarum notitia facere, discant. Ampliorem vero ipsius philosophiae emendationem, in ipsa quasi herba, suffocandi, nullum efficacius medium est, quam, si rerum philosophicarum studiosi ex lexicis philosophari assuescant.

## §. XIV.

Atque haec de *philosophia, disciplinisque philosophicis*, in genere, *modoque illas tractandi*, ad promouendam vltiorem, quam sperare in eadem adhuc licet, reformationem, egimus; iam vero opus est, vt, quid circa *ipsa dogmata* in genere adhuc annotandum sit, quod ad illorum amplificationem & emendationem facere in posterum possit, paucis adhuc annotemus. Non dum enim, qua singula in philosophia occurrentia dogmata, eo res perducta est, vt nihil in illis amplius vel emendari, vel suppleri, magisque perfici, hodie vel possit, vel necesse sit, quin *multa* potius, in *omnibus philosophiae partibus*, adhuc superesse, quae luce uberiori indigeant, nemo, nisi rerum omnium ignarus, temere negauerit. Vt enim alia multa hic praetereamus, quis, in rerum naturalium cognitione nos ad illum perfectionis gradum iam adscendisse, affirmauerit, vt nihil, quod ipsi desit, nihil quod emendare necesse sit, hic amplius restet? Manifesto certe hoc ipsum foret indicio, vix a limine, quod agunt, illum philosophiam naturalem salutasse, qui adeo arctis late patentem ipsius ambitum, an abyssum, dicam? concluderet finibus. Ne enim quidem, quid *corpus*, quid *materia*, sit, nouimus, adeoque circa ipsa statim *prima* huius disciplinae *elementa* iam aqua nobis haeret, nostraque nobis ignorantia fatenda est. Atque, quum hic forsitan, & in nonnullis eiusmodi aliis, nulla nobis spes sit, fore, vt illa vnquam cognoscamus, siquidem illud praesens noster, in quo omnes constituti sumus, status non videtur capere: alia tamen multa, ex omni rerum naturalium genere, supersunt, de quorum vberiori & clariori

E

quam

*Num in philosophiae dogmatibus adhuc aliqua emendatione opus sit.*



quam qua nos quidem hodie gaudemus, cognitione nobis desperandum non esse videtur. Eiusmodi vero multa supersunt capita, tum in doctrina de *affectionibus corporum* in genere, siquidem nec dum, quae vera *cohaesionis* partium in corporibus causa sit, aut unde alia corpora *dura*, & *consistentia*, alia *mollia*, & *fluida*, sint, unde, quae *elastica* sunt, *vim* suam *elasticam* habeant, aut quae *gravitatis causa* sit, & quae plura eiusmodi alia, circa corpus in genere, occurrunt, nouimus, tum in doctrina de *primis corporum naturalium elementis & principiis*, de *motu*, eiusque ratione, *modoque formali*, veraque in corporibus, a se inuicem motis, *causa* &c. (y). In *specialiori* vero corporum naturalium consideratione, quam multa sunt, quae nos adhuc latent, quorum si vel nudum hic contèxere vellemus catalogum, vix vna alteraue pagina sufficeret, & quae tamen, si cognita olim fuerint, ad tollenda varia, hinc in *theologia naturali*, hinc in *philosophia morali*, dubia forsan facient, sicque non parum ad augendam generis humani felicitatem conferent (z). Quis in *pneumatologia* vero, atque *theologia naturali*, adeo rerum omnium ignarus est, vt, quot, quantaque hic restent, quae cognitionem nostram fugiant, omnem-

(y) vid. de his, quae in *institut. philosoph. natur. seu physc. §. XXII. sq. XXXVI. sq. XLI. sq. LXX. sq. LXXIX. sq. &c.* diximus. (z) Sic enim v. c. quum, patrum nostrorum memoria, multi adhuc *generationem* animantium *sive praeexisente semine*, quam *aequinocam* vocant, crederent, multorum animis quoque illa ipsa simul haesit persuasio, in qua Aegyptios iam olim fuisse, *DIODORVS SICVLVS* refert, *biblioth. hist. lib. I. cap. I.* quod eodem scil. modo etiam *animata maiora*, ipseque homo, olim, quum natura, vt ipsi loquebantur, magis adhuc fuerit vegeta, oriri sua sponte ex luto potuerint, adeoque nulla *causa prima*, a qua conditi illi fuerint, opus sit. Et, quum de animantium & plantarum generatione iam fati hodie demonstratum sit, quod illa sine semine nec fiat, nec fieri queat, fuerunt tamen, qui, quoniam *fungos* saltem ex terra sine semine nasci, atque sua sponte in elegantissima adeo corpora, ex materia quadam putrescente, coalescere, persuasi erant, in eadem cum Aegyptiis sententia adhuc persistenter. Quis ergo negauerit, quod multum omnino humani generis felicitatem auxerint, qui *fungorum semina* hodie detexerunt, etsi in se illud admodum vile, maximeque otiosum, esse videri poterat?



omnemque nostrum captum hodie adhuc superent, ignoret? Vene enim dicamus de nostra ipsorummet *anima*, siue *nobis* potius *ipsis* (a), quam multa hic occurrant, quae nobis & qua eius naturam atque *essentiam*, & qua *unionem cum corpore*, & qua *modum operandi in corpus*, imperuia sunt, quippe quae forsitan semper etiam imperuia nobis manebunt; multa certe circa *reliquos spiritus*, inprimis *fiuitos*, illorumque operationes, supersunt, quae longam adhuc, laboriosam & circumspectam, investigationem requirunt. Dum enim nonnulli omnes illorum *operationes in corpora*, atque, quae de illorum *obsessionibus*, *apparitionibus*, *pactis cum hominibus initis*, indeque oriundis *hominum incantationibus*, aliisque eiusmodi, traduntur, simpliciter vel negant, vel in dubium saltem vocant, negari tamen omnia, nisi multa omnino in illis fabulosa, nullaque fide digna, occurrunt, non temere posse videntur; quid verum, quid falsum, de his omnibus sit, inquirendum omnino adhuc restat. Ut ne ea iam, quae de *natura voluntatis*, veraque *libertatis* nostrae *indole*, tum & *principio motus in brutis animalibus*, dici adhuc poterant, aliaque eiusmodi, afferamus, vel desperatum etiam illud, de *origine & permissione mali*, vlcus, quod adeo multorum, praestantissimorumque, virorum omnem hactenus elulit operam, in praesenti tangamus. Tandem in *philosophia morali* multa adhuc circa doctrinam de *affectibus*, de *propensionibus animi*, & *temperamentis corporis*, de *corruptione voluntatis*, in *inre vero naturae* de *principio moralitatis*, de *iuris naturalis immutabilitate*, de *legibus positivis vniuersalibus*, omnibusque sub iisdem comprehensis argumentis, aliaque eiusmodi plura, supersunt, quae maiori, quam qua plerumque circumfulgent, luce adhuc indigent.

E 2

§. XV.

(a) recte enim CICERO, sub Scipionis persona, ad Africanum: *tu vero entere, & sic habeto*, inquit, *te non esse mortalem, sed corpus hoc. Nec enim is es, quem forma ista declarat: sed mens cuiusque, is est quisque*, in *sonnio Scipion. cap. 8.*



## §. XV.

Atque in  
multis phi-  
losophia  
nondum sa-  
tis amice  
cum theo-  
logia con-  
spirat.

QVod maxime vero nos sollicitos habere oportet, non pauca inter haec recensita capita occurrit, in quibus non satis bene philosophiae cum theologia convenit, quaeque quomodo conciliari cum eadem debeant, nondum satis nobis constat. Etsi illud enim extra controversiam positum est, philosophiam theologiae, & theologiam philosophiae, aequè minus vere posse contradicere, ac Deus, qui utriusque autor est, sibi ipsi aduersari potest; illud tamen simul diffiteri non possumus, eo quod res ipsa loquitur, quod nondum de omnibus, quae vel euidentissimis rationis principiis nituntur, quomodo cum theologia, vel clarissimis reuelationis, quomodo cum philosophia, conciliari debeant, nobis hodie iam satis constat. Ut enim vnum saltem, alterumue, exempli loco, afferamus, adeo claris euidentissimisque demonstrari rationibus potest, quod spiritus, qualis anima humana est, per generationem naturalem propagari nequeat, ut nemo facile ambigere ea de re amplius vel leuiter possit. Quoniam enim stamina in spiritibus, qualia in corporibus quidem dantur, ex quibus iidem deinceps generentur, dari nequeunt, quicquid autem, citra eiusmodi staminum, seminumque, praeeistentiam, producitur, creari potius, quam generari, dicendum est; aut fatendum nobis erit, spiritum quendam finitum alium posse spiritum creare, aut vnum spiritum finitum plane non posse alium producere largiendum (b). Et tamen, quamcunque aliam assumamus sententiam, atque, siue hominum animas simul & semel dicamus a Deo, in prima creatione, esse conditas, adeoque iam ante corpora sua praeeistere, siue illas quotidie demum a Deo statuamus creari, neutrum cum vulgari illa, de peccati originis propagatione, sententia conciliari poterit. Neque verò minus luculentissimis euinci rationibus potest, quod una eademque numero res non possit esse tota in toto, & tota tamen simul

(b) Confer. institut. pneumatolog. §. Cl. sq.



simul in qualibet totius eiusdem parte; siquidem, si in pluribus totius cuiusdam partibus tota est, non vna, sed plures, res est, aut in vna etiam eademque parte simul *est, & non est*, siquidem & tota extra eandem est: tum &, si in pluribus totius cuiusdam partibus simul est, sibi ipsi a dextris, & simul quoque a sinistris, infra seipsam, & supra seipsam, erit, quod quidem omne fatis contradictorium est (c). Quoniam vna ergo eademque res tota in toto, & tota simul in qualibet totius parte, esse nequit, neque vna quoque eademque res in pluribus locis simul esse poterit, quod tamen grauissima iam, aduersus multas veritates theologicas, dubia nobis mouet, quae hactenus quidem cum iisdem conciliare nondum nouimus. Porro ex euidentissimis non minus in iure naturae principiis demonstrari potest, quod nullus poenarum finis vltimus debeat esse alius, quam accuratior legis in posterum observatio, adeoque illorum ipsorum, qui lege quadam obligantur, futura emendatio (d), quippe qui finis in ipsis etiam supplicii adhuc locum inuenit. Et si enim illi, qui capite plectuntur, obseruare in posterum leges illas, ob quarum transgressionem poenas illas dant, nequeunt; alius tamen partim, qui superstitiosus sunt, illorum supplicio metus incutitur, quo minus eodem ipsi modo leges illas in posterum transiliant, partim vero & in ipsorum illorum, qui capite damnantur, emendationem supplicia ista cedunt, siquidem & peccandi potentia ipsis in posterum adimitur, & ipsi quoque plerumque, quando mortem sibi imminere vident, vitam, antea actam, sollicitè perpendunt, hinc relapsunt, atque poenitentiam seriam agunt, ad quam, si sibimet ipsi, per omnem reliquam suam vitam, fuissent relictii, vix, ac ne vix quidem, peruenissent. Hoc vero ipsum,

E 3

quod

(c) Conf. iterum l. c. §. XXIX. (d) impium enim foret, de bono legislatore cogitare velle, quasi animo aliis aegre faciendi poenas solum infligat, aut mero, iram suam dolore alterius satiandi, appetitu idem faciat, malique adeo alterius cupidus solum sit. conf. KVLPIVS in colleg. Grof. exercit. 9. §. 4.



quod finis nempe poenarum emendatio esse debeat, graue admodum simul aduersus *aeternitatem poenarum infernalium* nobis mouet dubium, cum qua iterum, quomodo consistere haec queant, nondum nobis dilucide constat, siquidem damnati ipsi emendari nequeunt, electi vero emendatione non indigent, adeoque utrobique finis ille cessat. Ut taceamus quam difficile nobis hodiernum sit, id, quod ex principiis sanae rationis de *summa Dei perfectione & sanctitate* nobis constat, cum *mali moralis* in hoc mundo *permissione*, quam declinare tamen Deus O. M. si ex nostro rationis modulo rem metiri licet, potuisse videretur, conciliare, quippe de quo recentissime iterum, paucisque abhinc annis, acerrime disputatum esse, inter omnes constat (c).

## §. XVI.

*Quod omnem  
iam argu-  
mento est,  
quod non-  
dum libros  
symbolicos  
condere in  
philosophia  
licet.*

Speciminis vero loco haec solum, ex nonnullis tantummodo disciplinis philosophicis, decerpimus; plura autem adhuc eiusmodi alia supersunt, quae afferre iam superfedemus. Eum enim saltem in finem haec adduximus, vt, quoniam nec philosophia & theologia sibi vere contradicere, nec contradictoria quoque simul vera esse, possunt, iam exinde constet, nondum id omne actum in philosophia esse, quicquid agi in eadem vel debebat, vel poterat, adeoque vel in theses illas philosophicas adhuc ulterius inquirendum, eademque, si falsae depre-

henfae

(c) Neque vero ex dubiis illis emergimus, quando, quod multi faciunt, *ἐπιχειρῶν* hic eligimus. Quoniam contradictoria enim & repugnantia vera simul esse nequeunt, ad *pallienda*, non ad *collenda*, dubia id ipsum solum comparatum est, adeoque nec impediri facile potest, quo minus cum maiori imperu, post aliquod tempus, eadem recrudescant. Neque etiam, vt *rationem* suam quis *capit*, auctores hic ipsi esse statim possumus. Verendum enim foret, ne quis, qui, *nigrum album esse*, persuadere nobis vellet, si capi id posse negaremus, quia contradictoria sunt, *rationem* captiuandam esse simili modo praeciperet. Maximum enim inter ea, quae *supra*, & quae *contra*, *rationem* sunt, discrimen interesse, iam aliis multis dudum obseruatum est. vid. praeter alios LEIBNITIVS in *discurs. de consensu rat. & fid.* eius *theologicis* praemisso, §. 60. sq.



henfae fuerint, reiiciendae, vel si, veras illas esse, apparuerit, publice etiam eadem, & communi consensu, recipiendae, illis autem oppositae alio quodam modo concipiendae, erunt (f). Vnde iam ex haecenus dictis per se facile liquet, quid de *alre-ro quaestione* illius, quam supra iam (§. VI.) proposuimus, *sensu* iudicandum sit, atque, num ad illud perfectionis fastigium philosophia iam peruenerit, vt *symbolicos* quasi quosdam *libros* in eadem condere iam sit integrum. Esse autem hanc ipsam loquendi rationem, quando de *libris* in philosophia *symbolicis* quaerimus, solum *analogicam*, a *libris* in *theologia* *symbolicis* desumptam, quilibet facile, vel nobis non monentibus, videt. Non in qualemcunque vero, quod per omnem modum absit, sacratissimorum nostrorum symbolorum contemptum, sed propterea solum hac loquendi ratione, vel in ipso dissertationis nostrae conspectu statim, sumus vsi, quo tribus sic, quod aiunt, verbis, & loquendi quodam compendio, quid nobis propositum esset, edisserere, mentemque nostram explanare, liceret, quum prolixiori alias circumscriptione fuisset opus. Notum enim, vel in vulgus, hodie est, quid *librorum symbolicorum* nomine nobis hodie veniat, quodque illi nihil nobis notent aliud, quam breues quasdam doctrinae illius, quam publice in ecclesia tradere fas sit, formas & ὑποτυπώσεις (g). Vnde iam per se patet, quod magis *ad praesentem* horum voca-

(f) Diuersus enim haecenus pugnae illius, circa has, & eiusmodi theses alias, effectus est in multorum animis. Vt alii enim de veritate thesium illarum theologiarum ob philosophicas, sic alii de veritate philosophicarum ob theologicas illas, dubitant. (g) Non sine graui ratione libros *symbolicos* sic in genere definimus. Constat enim inter omnes, quod nostrates theologici ecclesiae nostrae symbola plerumque non tam *fidei*, quam *doctrinae* potius solum, *normam* ipsi esse dicant, eo quod ex ipsorum eorundem mente symbola non tam, *quid quisque credere*, quam *quid publice doceri* in ecclesia, debeat, nobis praescribant. Vnde & *iuramento* illo, quod quisque, ad publicum officium admittendus, *in libros symbolicos* praestare apud nos tenetur, nemo *ad fidem cogitur*, vt multi quidem sibi temere persuadent, sed, *ne* quid *libris* nostris *symbolicis aduersum* publice *doceatur*, solum *cauetur*.



vocabulorum *usum*, quam, quae vi *primae originis* ipsis tribuenda erat, significationem, hic respiciamus. Nemo enim facile nostrum est, qui ignoret, *σύμβολοι* graecis idem, ac *signum*, vel *zesseram*, aut eiusmodi quid aliud, quo dignosci res aliqua ab aliis possit, notare. Vnde, quando illud ad *libros*, exinde dictos *symbolicos*, applicatur, non *primarium*, sed *secundarium*, illud solum eorundem *finem* indicare, per se consequitur. *Primarius* enim illorum apud beatos nostros confessores finis, procul dubio, fuit, vt imperatori, ordinibusque imperii, *summam illorum* traderent, quae publice in regionum & ditionum suarum ecclesiis *praedicari* permitterent: *secundarius* vero ille, vt per eosdem *ab aliis*, alia docentibus, *distinguerentur*, successu demum temporis accessisse, atque *usum* primum ipso comprobatus esse, videtur. Nos ergo eodem, quem beati nostri confessores primum intenderunt, sensu, *librorum symbolicorum* nomen hic accipimus, quando de libris in philosophia *symbolicis* condendis hic quaerimus. Non enim alius huius *quaestionis sensus* est, quam: num adeo rerum omnium, in philosophia *occurentium*, iam explorata sit certitudo & veritas, vt formulas quasdam condere liceat, quibus ea omnia comprehendantur, quae publice docere & tradere in philosophia fas sit, vltra quae vero nihil a quoquam vel admitti, vel statui publice, debeat.

## §. XVII.

*Id quod pluribus iam demonstratur.*

VEL ipsum vero illud, quod supra iam inter *theologiam* atque *philosophiam* interesse *discrimen* obseruauimus (§. VII.), non patitur, vt angustis eiusmodi limitibus circumscribi philosophia possit. Etenim, quum quicquid in *theologia* tradi necesse est, id omne ad fidem & salutem relationem aliquam inferre oporteat, hoc vero ipsum omne iam in scriptura traditum reuelatumque sit; *symbolis* etiam certis, determinatisque formulis, facile, quicquid huc pertinere censetur, includi potest. Quum *philosophiae* vero contra obiectum longe pateat  
latius,



latius, quicquid ad eandem etiam pertinet, aut veritatis cuiusdam philosophicae nomen meretur, non aequè, ac illa, determinato quodam cognoscendi principio comprehensa sint, praeterea quoque ex supra dictis iam constet, quod multa in philosophia hodiernum restent, quae vberiori inuestigatione adhuc indigeant: ex his omnibus iam omnino consequatur, necesse est, quod neque libros quosdam in philosophia symbolicos hodie condere, neque illis, tanquam certis quibusdam cancellis, philosophos concludere, factu sit possibile. Neque vnquam etiam eo procedere in philosophia licebit, vt fieri hoc ipsam vlllo tempore possit. Vti multa enim hodie nobis iam detecta sunt, quae ignota maioribus nostris fuerunt, falsa-que deprehensa, quae pro veris ab illis sunt habita; sic nunquam eo perueniemus, vt nihil, nobis ignotum, a successoribus nostris detegi, nihilque pro vero quomodocunque a nobis habitum, ab illis erroris conuinci posse, certi esse queamus. Nullo saltem tempore determinari facile poterit, nihil amplius vel ignotum, vel falsum, in philosophia nostra superesse. Quis enim fines intellectui humano posuerit, quousque in veritatis cognitione progredi vel possit, vel debeat, aut quis illum determinauerit apicem, vltra quem ascendere amplius non liceat? Accedit, quod nimia rerum, ad philosophiam pertinentium, sit multitudo & copia, nimiaque varietas, atque infinita fere illarum inter se relatio, de quibus tamen omnibus vel a priori facile patet, quod a nemine, nulloque vnquam tempore, determinari facile possit, quando circa haec omnia eo iam peruentum fuerit, vt nihil his amplius addi, nihil denique demi, necesse sit. Nullo ergo etiam tempore ad illum philosophiae nostrae res perduci statum poterunt, vt libros quosdam symbolicos, publica autoritate constitutos, firmatosque, condere in eadem liceat, quibus nempe, quid quisque de quolibet argumento philosophico, in quacunque disciplina, pro vero statuere, quid contra



tra pro falso habere, debeat, definiri ex asse possit. Neque sine sapientissimo consilio Deus O. M. permittere noluisse videtur, ut adeo angustiis rationis humanae vsus concluderetur terminis, quo, quicquid sciri inuestigarique ratione humana potest, id vni statim alteriue homini omne patefceret, certisque ab iisdem comprehendi formulis & symbolis posset. Non enim omnes solum subsequantium aetatum & annorum homines nihil amplius haberent, quod in veritatis inquisitione, agerent, quoue tempus, hac durante vita, iucunde transigerent; sed hoc etiam modo Deus subsequantium temporum hominibus frustra aliquam & iudicium, & ingenii, vim concederet, siquidem sola illis *memoria* opus foret, cui, quae a maioribus suis iam formulis illis, publice constitutis, comprehensa esse deprehenderent, solum mandarent, quo quidem ipso omnis, vti facile liquet, humanae rationis vsus vilefceret.

## §. XIIX.

In philosophia ergo quoque non datur recepta aliqua, quae novae cuiusdam instar sit, doctrina, adeoque philosophis quoque relinquenda est sententia libertas.

Quum fieri ergo, per dicta, nequeat, ut libri eiusmodi symbolici, publica autoritate firmati, in philosophia vel hodie, nostraque, vel olim etiam, posterorumque nostrorum aetate, vnquam constituentur, neque adeo haecenus etiam constituti sint; nescio iam, quid sibi velint, qui, quam primum statui aliquid, defendique, ab aliis audiunt, quod sibi haecenus ignotum, atque a praeceptoribus suis traditum non esse, observant, in odium aliorum, bene licet de veritate merentium, clamitant, a *recepta* ab iisdem recedi *doctrina*, esse hoc vel illud contra *receptam doctrinam*, & quae eiusmodi loquendi rationes sunt aliae. Quod quando alii percipiunt, confuso, quem his vocabulis subiiciunt, conceptu moti, coelum statim loco suo moveri, aut patriam hostibus prodi, deque graeciae salute actum esse, putantes, illos iam, qui a *recepta*, quantum vero, si diis placet, piaculum! *doctrina*, recedunt, odio habere, insectari



sectari, nominibus ad contentum, hominumque de sece vulgi bilem mouendam, excogitatis, traducere, aliisque eosdem deridendos propinare, atque tantum non exhibilare, ab eorundemque commercio alios reuocare & abstertere, &, nescio quae, infana eiusmodi alia moliri, incipiunt. Ita *mundus regitur opinionibus*, tantaque est *confusae illius ideae*, quam de *recepta multi doctrina* habent, vis & efficacia, vt, audito modo, non bene huic vel illi cum *recepta doctrina* conuenire, non aliter, ac ad conspectum *Medusae caput*, rigescant, ac tantum non in solidum saxum toti abeant. Quando vero, quae sub his vocibus lateant, ad distinctas ideas reuocamus, tum facile apparet, nihil esse inanium, quam *philosophis* receptam in *philosophia* doctrinam, tanquam terriculamentum aliquod, oblicere, quo forsitan *mulierculae* solummodo, aut, qui inter eruditos *non magis distinctam* illis, de grauissimis ad philosophiam pertinentibus argumentis, *ideam* habent, a veritatis vel agnitione, vel confessione, se absterri patiuntur. Quum nullos enim in *philosophia* habeamus libros symbolicos, nullam etiam in *eadem* agnoscimus receptam doctrinam, sed quicquid a philosophis, ex euentissimis sanae rationis principiis, demonstrari potest, id omne pro *recepta in philosophia doctrina*, vel ab omnibus saltem, ratione sua recte vtentibus, recipienda, haberi meretur. Vnde iam per se consequitur, quod res ipsa postulet, vt circa illa omnia, quae ex verissimis certissimisque rationis & philosophiae principiis ita demonstrari possunt, vt, nos circa ea non falli, satis sit evidens, summa quoque philosopho *sexriendi* relinquatur *libertas*, quicquid etiam sit, quod hoc modo statuat, defendatque, quam maxime quoque nobis, primo intuitu, videatur paradoxum, atque doctrinae *apud nos* receptae aduersum (h).

F 2

Quo-

(h) Sunt quidem, quibus, quando aliquid de *libertate sentiendi*, vel *philosophandi*, audiunt, imaginationis vi statim succurrit, SPINOSAM quoque tractatum suum *theologico-politicum* inscripsisse: tractatum de *libertate philo-*



Quoniam enim, quicquid sic ex infallibilibus rationis principiis demonstrari potest, & consequitur, falsum esse nequit, quia Deus, qui rationis auctor est, neque ipse falli, neque erroris quoque fieri causa, potest, nihil quoque, ab eiusmodi veritatibus, diuinæ reuelationi, omnibusque in eadem diuinitus traditis, metuendum est. Quid vero homines harum rerum ignari, de illis censeant, parum attendendum esse putauerim. Ex horum enim iudicio rerum philosophicarum neque veritas, neque falsitas, aestimanda est, neque ex eodem quoque iisdem statuendum est pretium. Est enim ille peruersissimus multorum hominum mos, vt, quo *omniscii* modo *erudiri* esse, *nihilque* in vlla arte, vel scientia, *ignorare*, aliis videantur, de *omnibus rebus*, etiam maxime sibi ignotis, *incredibili temeritate*, sententiam, quasi ex tripode, dicant, pronuntientue. Etsi hoc vero modo fieri aliter nequit, quam vt de multis rebus non aliter, ac *coeci de coloribus*, iudicent; non raro tamen alios, multo illis adhuc coeciores, autoritate sua, si qua pollent, mouent, vt ipsorum effata pro veris, infallibilibusque, habeant. Atque hi eiusmodi homines non raro etiam de *rebus philosophicis*, quas tamen plane nec capiunt, nec pro animi sui, minus rite preparati, dispositione, capere possunt, magna cum parrhesia iudicant, & quae non intelligunt, vel *falsè vident*, atque vt *inutilia & inepta* reiiciunt, vel *periculosa* etiam esse, inprimis, si captum illorum superent, contendunt (i). Vtinam vero eiusmodi

---

*sophandi*; vnde, quoniam in hoc tractatu theologico-politico multa omnino impia & profana occurrunt, vitiosa idearum combinatione pro periculoso statim habent, vbiunque de *libertate philosophandi* dicitur. His vero hominibus non melius consuli posse putamus, quam vt *Anticyras* abeant, atque *elleboro* cerebrum purgent. Sanis enim *logices* praeceptis, quibus, quomodo ab hoc imaginationis vitio cauere nobis debeamus, traditur, parum, id quod experientia edoctus noui, apud illos proficitur.

(i) Non aliunde vero hoc ipsum provenire videtur, quam, quod plerumque *nimis multa, etoque*, quod aiunt, *caelo a se distincta, & diuersa*, discenda nobis sunt, atque plerique in ea opinione versantur, non posse se veri crudi-



modi homines, quod *Apelles* olim artis suae contemptori acclamabat, sibi etiam suo modo dictum esse intelligerent, atque suae sibi tenuitatis consci, quamque curta sibi rerum philosophicarum suppellex sit, tandem aduertentes, secum habitare, & temerariis suis iudiciis philosophorum bene compositos circulos amplius non turbare, discerent.

## §. XIX.

Quoniam nec naturam ergo philosophiae pati, ut libri symbolici condantur, nec philosophandi etiam propterea libertatem denegari philosopho posse, pluribus iam a nobis commonstratum est; extra controuersiam iam videtur esse positum, quod non pauca hodiernum in philosophia supersint, quae reformatione adhuc aliqua indigeant. Paucis ergo nobis hic adhuc ostendendum erit, quidnam circa dogmatum philosophicorum, in posterum adhuc tentandam, reformationem obseruandam in genere esse censeamus. Neque enim, quid circa singulas disciplinas sigillatim attendendum esse putemus, hic commemorare pluribus possumus, siquidem illud partim in *priori dissertatione* iam a nobis factum est, partim vero, si ad *specialiora* hic descendendum adhuc esset, singula nobis ex omnibus disciplinis hic recensenda forent dogmata, quae vberiori adhuc luce indigere videntur, quod tamen fieri hic in compendio non posse, res ipsa satis loquitur. Circa ea ergo solum, quae in *omnibus illis in genere* obseruanda esse ducimus, hic iam subsistemus, paucisque mentem nostram explicabimus.

*Reformatione ergo aliqua in philosophia adhuc opus est. Fieri vero illa debet ex certis quibusdam principis.*

F 3

ti sustinere nomen, nisi, de omnibus etiam aliquid solum sciant, omnia tamen scire aliis videantur. Longe vero melius rebus humanis consuleretur, si quis vnam modo, alteramue, eruditionis partem solide teneret, atque in reliquis suam ingenue profiteretur ignorantiam; vel saltem de illis, quae superficialiter modo didicit, non temere pronuntiaret. In tanta enim rerum multitudine, non omnia scire, turpe non est; turpe vero est, de rebus, quas quis ignorat, temerarie iudicare, eoque ipso veritatis cognitioni obesse.



mus. Existimamus vero, opus ante omnia esse, 1.) vt, si bene succedere in illis omnibus, quae maiori in philosophia luce adhuc indigent, reformatio debeat, ex *certis* quibusdam *principiis*, extra controuersiam positis, haec semper suscipiatur, atque iustis concludendi legibus ex iisdem deducatur. Neque enim, quicquid *casu* modo *fortuito* se nobis offert, pro *certa* quadam, *explorataque*, statim habendum *veritate* est, eoque nomine *in vulgus statim spargendum*, atque pro veritate quadam aliis obtrudendum. Fieri enim non raro solet, vt, quando conceptus aliquis de re quadam, *extra nexum* eiusdem *systematicum*, se nobis offert, *admodum* ille nobis videatur esse *probabilis*, quem tamen, post aliquod tempus, quando illum *in debita* cum aliis *cobaeſione* examinamus, ipsi falsum esse deprehendimus. Vnde res ipsa iam requirit, vt, si quando in eiusmodi cogitationes incidamus, quas non ex certissimis, euentissimisque, aut maxime saltem probabilibus, principiis fluere videmus, *aliquamdiu* easdem adhuc nobiscum *premamus*, neque *pro certa statim* explorataque *veritate venditemus*, imo tamdiu potius *premamus*, donec, quod casu nobis fortuito in mentem venit, id ipsum iam non sine ratione sufficiente apud nos natum, sed optimis potius principiis subnixum esse, intelligamus. Nisi enim id fecerimus, multa saepius, ex nimia praecipitantia, pro veris venditabimus, quae, post iteratam meditationem, curasque secundas, ipsi pro falsis habenda esse, cognoscemus, adeoque multa, magno antea cum gaudio in philosophiae sinum recepta, ex eadem iterum, post breue temporis spatium, eliminanda erunt. Non est, quod multum laboremus de huius rei exemplis. Quis nescit, hoc in primis vitio laborasse *celeb. CHRISTIANVM THOMASIVM*, qui, etsi multa in philosophia reformare aggressus, multa tamen, quae, ex nimia festinatione, ipse & pro veris habuerat, & ne alius ipsi gloriam inuentionis praeriperet, cum orbe statim erudito, ab incude adhuc calentia,



tia, tanquam veritates, nouiter a se inuentas, communicauerat, pro falsis iterum declarare, post breue tempus, coactus est. Neque *semel* id ipsi, sed *per saepe* omnino, contigit, neque *semel* etiam, *iterumque*, sed *terque*, *quaterque*, saepe, circa vnam eandemque rem, sententiam suam mutauit, ita vt, quae ante vnum alterumue mensem pro vero habuerat, post illud tempus pro falso iterum haberet, eiusque loco aliam sententiam eligeret, quam tamen ipsam non minus, post breue temporis spatium, iterum mutabat: vnde nemo post vnum alterumue mensem certus esse poterat, num, quae ante id tempus statuerat, magnaue cum mentis conuictione alios docuerat, THOMASIVS, eadem ipse post id tempus, adhuc doceret atque defenderet (k). Atque tantum abest, vt illam mentis inconstantiam sibi pudori duxerit THOMASIVS, vt potius ex eo ipso gloriolam adhuc quaesierit, animique, veritatis studiosi, indicium esse voluerit, errores suos, siquidem eosdem perspexerit, etiam non monitum fateri. Sua enim sponte, atque vel *citra*, vel *ante* saltem, *aliorum* admonitionem, suos se errores iam agnouisse, aliorumque adeo commonefactione non indiguisse, videri plerumque volebat Thomasius. Etsi vero id omnino verum est, decere animum, veritatis studiosum, vt, si publico in errore se versari agnoscat, publice quoque is ipsum fateri, eundemque publice reuocare, & aboliri, non erubescat, neque sententiae, semel receptae, mordicus inhaereat; toties tamen sententiam suam iterum, iterumque, mutare, atque

(k) Quamobrem & personatus ille REALIS DE VIENNA, seu, vero nomine, GABRIEL WAGNERVS, in der Prüfung des Versuchs vom Wesen des Geists, recte inter alia monet, philosophiam Thomasi omnem bimestrem solum, atque trimestrem, esse. Immo persuasissimus sum, quod solo pudore ductus Thomasius, quod toties nempe sententiam suam de vna eademque re iam mutauerit, in multis tandem acquieuerit, quae alias ante obitum forsitan denuo adhuc mutasset. Vti ante suum ergo obitum nemo, ex Croe-fii iudicio, felix, sic ante THOMASII obitum nemo de eius sententia certus esse potuit.



atque circa vnam eandemque rem, breui temporis spatio, terque, quaterque, secummetipso dissentire, ac a Thomasio quidem factum est, id vero manifestissimum animi incogitantis, praepostereque festinantis, eaque, quae ex sententia aliqua fluunt, vel fluere possunt, non satis perspicientis, est indicium, qualis philosophum vero minime decet. Multa enim, prout *primo* se *obutu* nobis offerunt, statim non solum *approbare*, sed & *publice*; tanquam aeternas veritates, *propalare*, aliosque, secus sentientes, ridere, & postea tamen sententiam illam eam ob causam iterum mutare, quod nonnulla, cum aliis veritatibus manifestissimis pugnancia, ex eadem consequi, *casu* pariter *fortuito* solum *cognoscimus*, quae tamen probe potuissent, vel leui adhibita attentione, a priori perspicui; id vero neque magnum omnino, atque perspicacis, ingenii est, neque multum etiam ad veram solidamque philosophiae reformationem confert. Philosophum enim prius, quid ex quacunque thesi fluere possit, probe perspectum habere oportet, quam casu solum fortuito in idem incidat: alias, si quid veri adhuc nouiter inuenit, non *rationis*, sed *fortunae*, id opus est, qualia *pleraque*, quae in *philosophia Thomastica* occurrunt, *vera* esse videntur. Cuicumque enim propositum est, omnia, quae ab aliis ante se dicta sunt, *sine discrimine*, perstringere, is ipse, quo minus *casu fortuito* in aliqua etiam *vera* nonnunquam incidat, prohibere vix potest.

## §. XX.

II) Non noua solum dicendi cupidine debet suscipi.

VTi maxime ergo illustri hoc exemplo constat, tumultuariam eiusmodi, atque ex certis principijs non susceptam, philosophiae reformationem, parum solidam, proficuumque, esse, ita iam n.) cauendum est, *ut ne solius innouandi libidinis*, atque *captandae gloriolae causa*, *noua quis* in philosophia *moliri incipiat*, adeoque non tam de inquirenda veritate, quam, *ut noui modo* quid dixisse videatur, sit sollicitus, quod quidem non paucis casu venire solet. Id enim non tam *reformare*, quam *desormare*,



mare, philosophiam est, quando quis suae potius *ambitioni*, quam rei *veritati*, litat, neque tam quid *verum*, quam quid sibi quomodocunque *gloriosum* sit, quaerit. Fieri enim aliter nequit, quam vt multa pariter absona, misereque philosophiam inquinantia, hoc modo in eandem intrudantur. Neque enim id semper inuentoribus suis, qui rebus modo nouis afferendis inhiant, *vere gloriosum* est, quicquid *eum* tamen in *finem* solícite conquirunt, corraduntque, vt ipforum modo vbiuis nomen resonet, ipsique hoc vel illud peculiaris & noui attulisse dicantur. Non vno id confirmare possemus exemplo, nisi difficile quodammodo videretur esse dictu, num quis hoc, vel illud, solo noua dicendi pruritu, an vero veritatis studio, in medium produxerit. Non videmur tamen temere posse errare, si prius illis tribuamus omnibus, qui partim in *nullius momenti* rebus a communi via recedunt, partim etiam *sine ratione praegnantia* id ipsum faciunt, & licet ipsi non multa meliora, aut saniora, afferant, *mirifice* tamen *sibi* de inuento suo *gratulantur*, *aliisque* se eo nomine *praeserunt*, neque minorem fere sibi gloriam tribuunt, quam si vniuersum orbem habitabilem ab insigni quadam barbarie, profundisque ignorantiae tenebris, liberaissent. Fallor, aut haec omnia, iure optimo, quadrant in *recentissimum nonneminem* philosophiae *scriptorem*, qui *mirifice* rebus nouis dicendis inhiant, admodum tamen, in quam plurimis, quae nouiter sibi inuenisse videtur, infelix est, nouisque suis inuentis philosophiam non tam ornat, quam obruit. *Nomen* eius facile huc adscriberem, nisi metuendum mihi esset, ne & me, *inclarescendi* solum causa, dicam ipsi scribere, censeret, vt Dn. R. G. F. S. id olim obiicere in praefat. S. V. & F. non est veritus: cui tamen, *vri indole*, ipso fatente, *benigna est*, *denegare* illam ipsam *inclarescendi* occasionem *noluit*, ideoque & etsi *ipsius parum referebar*, cum emolumento tamen Dn. R. G. F. S. *contro-*

G

uersiam



versam ulterius continuari permisit (1). Rem ergo ipsam solum  
 agemus, atque speciminis loco unum saltem alterumue afferemus  
 exemplum, ex quo, quam parvi omnino facienda sint nova  
 illa, de quorum tamen inuentione ipse non raro, ad inuidiam  
 fere vsque, gloriatur, quaeque cum maxima saepius ostenta-  
 tione, falsaque aliorum irrisione, recenset, paucis constet,  
 atque ex illis simul de reliquis ferri iudicium possit. Et lecto-  
 rem enim legendi, & me scribendi, taedium caperet, si omnia  
 hic percensere vellem, de quibus ille mirifice gloriatur, etsi  
 nullam gloriandi causam habeat. Eiusmodi quid est, quan-  
 do facultatem quandam voluntatis succenturiatam, non tam cogno-  
 scendi, quam diuinandi verum, sibi primus detexisse videtur (m).  
 Fateor, neminem hactenus de eiusmodi facultate voluntatis  
 succenturiata cogitasse. Neque tamen id tantopere demirari  
 cum viro cl. possum. Quis enim ex eo, quod saepius aliquid  
 ob obscuram, quam de illo habemus, notitiam, verum esse  
 agnoscimus, etsi distincte rationem eius reddere nequeamus, pe-  
 culiarem diuinandi verum facultatem finxerit, eamque faculta-  
 tem voluntatis nouam, quasi voluntatis esset, verum cognoscere,  
 & quidem succenturiatam, quasi facultatis posset dari facultas (n),  
 & quidem diuinandi verum, hoc est, sine ratione sufficiente cog-  
 noscendi, statim fecerit? Quis vero adeo ab omni veri falsi-  
 que sensu alienus est, vt, ad illam probandam, instinctum brutorum  
 animalium naturalem, ad haec vel illa appetenda, vel fugienda,  
 attulerit, immo, vt inordinatum illum aegrorum appetitum, quo  
 saepe sibi noxia appetunt, & per accidens, tamen nihil da-  
 mni

(1) In praefat. S. V. & F. §. 21. (m) vid. dissertat. prooem. S. V. & F. §. 8. p. 14. (n) etsi enim is voluntatem ab intellectu non, vt facultatem a facultate, sed, vt substantiam a substantia, differre contendit, l. c. §. 13. hoc tamen nomen inuentum eiusdem furfuris est: in annotat. tamen ad b. §. in recentiori S. V. & F. editione voluntatem facultatem quidem, verum non proprie dictam, sed metaphysicam, esse dicit. Nomen iterum, si diis placet, inuentum. Facultas enim metaphysica, quam, quaeso! ridiculum ens, vel potius nomen, est? Est enim vacuus, sine conceptu, sonus; vti multa in eius philosophia alia.



mni ex iisdem capiunt, quin sanitati potius saepe restituantur, ad illam diuinandi facultatem retulerit; quodli vero illa nocuerint, tum *intellectum & cogitationem*, non *diuinandi artem*, *illa suasse* dicat, vt reliqua, quae pro ea probanda afferuntur, taceamus? Et vt circa vnum aliquod exemplum non nimis diu haereamus, quis non miretur nouum istud inuentum, quo, etsi *omnes ideas a sensione oriri* conceditur, nemo tamen, *nisi impudentissimus*, negare posse dicitur, *se habere omnes suas, quas vnquam fouit, cogitationes & ideas per modum recordationis* (o)? Sunt enim hoc modo *OMNES ideae a sensione*, & caedem tamen *OMNES sensus modus recordationis*, adeoque *recordatio cum sensione*, & *sensio cum recordatione*, inter se idem sunt (p). Legere etiam, & mirari, iuuat illam *ingenii, iudicii & memoriae demonstrationem*, vt appellatur, *physicam*, quam ibidem idem ille affert (q). Nam & haec, fateor, *noua est*.

## §. XXI.

VT vero multa alia, non parui licet omnino momenti, hic iam praetermittamus, quis non cum autore nostro *ineptas rideret definitiones entis vulgares, quas metaphysici ita concinnare conantur, vt, si forte quiddam ultra stellas fixas, nunquam ab hominibus cognitum, nunquam cognoscendum, detur, illud etiam nomine entis comprehendendi possit, & quis non cum eo ens potius dixerit quodlibet humano sensui peruium, non entia vero, quae nobis fuerunt, & semper erunt, incognita* (r). Ignorarunt enim boni illi metaphysici, *veritatem existendi*, a qua aliquid *ens dicitur, a nostra, hominum, cognitione suspendi*, ita quidem, vt, *quod nemini nostrum cognitum est, id ne sit quidem*. Haec enim *noua omnino veritas est*, nemini, vlllo veri falsique sensu praedito, olim cognita. Et, quid multum amplius laboramus circa veram substantiae defi-

*Idem conti-  
nuatur ar-  
gumentum.*

G 2

nitio-

(o) *S. V. & F. lib. 1. cap. 2. §. 5. & 7.* (p) notandum vero est, quod *sensionis* nomine hic etiam *sensio externa* comprehendatur, adeoque in merum sophisma abeunt, quae *loc. cit. §. 10.* pro defensione thesios huius afferuntur. *Sensio ergo externa* quoque, secundum hanc assertionem, *modus recordationis est*. Quis haec non noua esse dixerit? (q) *loc. cit. §. 40.* (r) *loc. cit. cap. 5. §. 13.*



nitionem? Est namque *substantia nihil est aliud, quam causa quaedam, sensibus immediate haud obuia, per effectus tamen quosdam, qui sensus immediate incurrunt, se prodens*, ita quidem, ut *substantia* alicuius rei *sub accidentibus eiusdem lateat, & ea exterius producat, sicut bombyx sericum* (s). Scilicet, non satis erat philosophis scribere, sed talis etiam erat afferenda philosophia, quae mulierculis quoque ad focum & colum placeret. Verum si haec, & eiusmodi alia plura, noua licet, non placent: est enim corruptus nonnunquam inter homines veri falsique sensus; illa forsitan saluam mouebunt, quod, praeter alia multa noua ratiocinandi genera, etiam *ratiocinationem syllogisticam per quatuor terminos*, recensinuentam, hic habes. Audi enim auctorem ipsum: *Esi hunc ratiocinandi modum solus statuere, quod & in aliis contigit permultis, cogar; rei tamen euidentia conuictum, non id propter suum mihi, & veritati, denegaturum esse assensum liberalis indolis lectorem, credo*. Scilicet perantiqua erat, & maxime vulgaris, illa *regula syllogistica: non debere in syllogismo plures esse, quam tres terminos*. Quis vero eadem semper hic oberaret chorda? Noui quid etiam hic erat tentandum. Et, quum duo diuersi *medii termini* hactenus admodum perspicue duo diuersa constituere *ratiocinio* solerent, opera erat danda, ut *perplexius & obscurius* in *unum* compingerentur, sicque ratiocinatio aliqua syllogistica *quatuor* diceretur *constare terminis*. Scilicet, quando diuturnus satis lucis usus fuit, tenebris aliquando delectari iuuat, ne, nihil nobis noui superesse, videatur. Neque vero errat, qui hoc de *rota* auctoris nostri, de *uariis ratiocinationum generibus*, doctrina affirmauerit. Facilis enim, & plana, hactenus tota, de ratiocinatione syllogistica, doctrina fuerat; nouo vero *artificio* illa iam ita erat *obscuranda*, atque *implicata* magis & *perplexa* reddenda, ut, qui artem ratiocinandi hinc discere discupit, illum iam omnes ratiocinandi modos probe

(s) Loc. cit. §. 5. & 7.



probe perspectum habere oporteat, si emergere feliciter ex hoc labyrintho velit. Quam quidem ingenuam confessionem non aegre, spero, illi ferent, qui, uti hoc auctoris nostri opus reliquis fere eius operibus omnibus praeferunt, sic hanc quoque, de variis ratiocinandi modis, doctrinam inter reliqua eius adiumenta non vltimum occupare locum, persuasi sunt, eademque non parum gloriantur. Est enim ea multorum hominum consuetudo, ut, tanquam acuta & subtilia, laudent, quae non intelligunt, quamprimum vero intelligere ea incipiunt, contemnunt. Sed forsitan feliciora sunt, quae in aliis disciplinis viri cl. noua attulit? Ego vero, quod huc referam, vix noui, nisi forsitan ipsius *bullulae & particulae radiantis* fuerint (t), aut *no- ui*, quibus *plantas* beavit, *sensus* (u), *spiritusque intelligentes*, quos ipsis, ut ne inuersa facie, ex seminibus suis, ex terra succrescerent, non paruo suo merito praefecit (x), aut *cauda tandem cometarum*, quam *umbra* cuiuscunque cometae, & *fixa sua illuminatam*, esse scribit, simulque miratur, id a nemine, ne ipso quidem BERNOVLLIO, hactenus obseruatum esse (y): ut taceamus nouum illud inuentum, quo spiritum finitum ex materia prima factum esse contendit, imo atheam opinionem esse scribit, quae spiritum ex materia prima factum negat (z). Scilicet, satis luculenta haec putauerim esse specimina, quantum philosophia inde percipiat commodi, quando non tam quid *verum*, quam quid *nouum*, a rerum nouarum inuentoribus, quidque sibi solum quomodocunque *gloriosum* sit, attenditur. Quodsi enim vel maxime, inter tot infelicia inuenta, nonnunquam adhuc occurrit, quod veri rationem habet; attendi tamen illud inter tot figmenta, quorum mole obrui-

G 3

(t) Vid. eius *phys. diu. lib. 1. cap. 3. sect. 4. §. 131. sq.* add. *ibid. praefat. §. 5. sq.*  
 (u) *loc. nempe cit. lib. 1. cap. 4. §. 32. p. 159.* (x) *loc. cit. & ibid. §. 37. p. 165.*  
 add. vero, quae hac de re dicta a nobis sunt in *institut. phys. §. CCCXL. sq.*  
 (y) de *S. V. & P. lib. 4. cap. 2. §. 21. & 22.* (z) *phys. nempe diu. lib. 1. cap. 2. sect. 1. §. 9. p. 86.*



obruimur, vix potest, adeoque & illud simul vsum suum amittit. Non pauciora vero eiusmodi specimina ex celeb. CHRIS. P. THOMASII possemus adducere scriptis, si tempus pateretur, aut non lectori tandem, eiusmodi recensione rerum, esset parcendum. Qui de veritate huius rei dubitat, is solum vere monstruosum illud adeat scriptum, cui *tentaminis de natura spiritus* titulum fecit. Quanta enim hic non datur novorum & seges, & messis, sed non meliorum, quam qualia hactenus adduximus, de quibus sibi tamen THOMASIVS non aliter, ac de magnis inuentis thesauris, gratulatur, magnaue sui fiducia secus sentientes rider? Ridendos vero ipsos illos, qui meliora afferre noua nesciunt, & alios tamen omnes, si secum contenduntur, tantum non fungos, stipitesque, esse existimant, esse putauerim, neque illum iustos, in controuersis tenendos, modestiae limites transilire, qui sale acriori illos aliquando perfricat, sum persuasissimus.

## §. XXII.

(III.) *Cauendum, ne, principis admittis, conclusiones reiciamus.*

VTi sedulo ergo, si meliorem induere faciem philosophia debet, cauendum nobis est, vt ne omnia, quae *per somnium forte* nobis aliquando *oblata* sunt, dum *noua* modo visa fuerint, calculo statim nostro probemus; ita III.) cauendum iam ex opposito est, vt ne *principia admittamus, conclusiones* vero, etsi euentissima ex iisdem ratione consequantur, si aliis tamen, hactenus a nobis receptis, sententiis aduersentur, vel *reiciamus*, vel *ερέξω* saltem circa easdem *eligamus*. Quicquid enim ex euentissimis, certissimisque, principis consequitur, secundum omnes quoque iustae consequentiae regulas ex iisdem fluit, id ipsum *vero* non solum *potest*, sed & *debet*, admittere philosophus, si magis adhuc, magisque, perficienda philosophia est. Quoniam illa enim, quae hoc modo ex principis certo veris, necessaria atque euenti inferendi ratione, flunt, pro *ipsius* sanctae *rationis dictatis* habenda sunt, cuius ipse Deus autor est;

nihl



nihil quoque ab eiusmodi conclusionibus, vel philosophiae, vel philosopho, metuendum mali est, *quam maxime* etiam illa nobis, primo intuitu, videantur *paradoxa*. Non omne enim, quod *paradoxum* est, statim quoque propterea *falsum* est, siquidem *nihil hodie* alias *verum esse*, si quid propterea, quod paradoxum multis est, statim mereretur reiici. Ex sua ergo quaelibet cum suis principiis *cohaesione*, non vero ex *consensione cum hypothesebus*, nobis hactenus probatis, diiudicanda atque aestimanda sunt. Etenim non pauca vsu receptum est, ut in diiudicandis rebus, ad philosophiam pertinentibus, non tam, num hoc vel illud ex evidentissimis certissimisque consequatur principiis, quam potius, num systemati doctrinae suae, hactenus sibi recepto, repugnet, an vero minus, attendant, atque si prius illud locum inuenerit, ista quidem omnia, sine ulteriori examine, reiiciant, quum suum potius, cui hoc modo contradicitur, systema sub examen reuocare, in eiusque veritatem inquirere deberent. Scilicet hi homines *suis saepe diffidunt sensibus*, atque de evidentissimis potius veritatibus dubitare, quam quae semel ipsis recepta, probataque, sunt, deserere malunt. Nescio vero, annon haec vera ratio sit, quod *cl. REIMMANNVS in dem Versuch einer Einleitung in die histor. literar. antdiluv. p. 272.* scribere non vereatur: *daß es in denen Zeiten um die theologia am schlimmsten ausgesehen, vvenn die Philosophie von den Gottesgelehrten am meisten excoliret worden, & porro: Daß die besten Philosophi die schlimmsten Theologi, und hingegen die besten Theologi die schlimmsten Philosophi gewesen.* Etsi enim ipsi viro *cl.* vindicandum relinquo, quo iure, quoue theologorum honore, scribere possit: *Daß die besten Theologi die schlimmsten Philosophi gewesen;* priora tamen eius verba: *Daß es zu denen Zeiten um die Theologia am schlimmsten ausgesehen, vvenn die Philosophie von denen Gottesgelehrten am meisten excoliret vworden, non de theologia ipsa, qualis ex scriptu-*



scripturae s. praescripto esse debet, sed qualis apud nonnullos theologorum, variis, ex scriptura s. vix probandis, sententiis deditorum, esse non raro solet, intelligo. Quod si de ipsa enim haec theologia acciperet, non satis tuti munitique videri poterant theologiae fines, quibus a philosophia, tanquam ab hoste irruente, esset metuendum, quod quomodo cum certitudine & infallibilitate scripturae s. indeque petitae theologiae, conciliari queat, non video. De theologia autem, qualis apud non paucos obtinet, id omnino valet. Tantum vero abest, ut illud ipsum vitio verti philosophiae possit, atque in eadem vituperari, ut laudi potius eidem ducendum sit, *dass es um diese Theologie in denen Zeiten am schlimmsten ausgehn, wenn die Philosophie von denen Gottesgelehrten am meisten excollirt worden*, & quod hoc etiam sensu *die besten Philosophi die schlimmsten Theologi gewesen*. Etenim extra controversiam est positum, quod ea, quae ex evidentissimis principiis philosophicis consequuntur, non raro multorum theologorum repugnant systematibus, eademque penitus fere euertant, etsi cum scriptura ipsa nullo modo pugnent. Haec vero propter thesibus aliqua philosophica non statim deserenda est, quod cum horum, vel illorum, theologorum doctrinae systemate pugnat, quin hoc potius, si illa extra omnem dubitationem evidens & vera est, rigide examinandum, atque, in quantum conciliari cum illis rationis principiis nequit, reiiciendum est (a). Quoniam imperito vero vulgo illi plerumque optimi censentur esse theologi, qui sententiarum, a patribus, praeceptoribusque, sibi traditarum, sunt tenacissimi, siquidem ecclesiasticum illud theologiae genus perquam exosum hodiernum

(a) Non dicimus, nihil esse admittendum, quod non ex ratione possit demonstrari, sed, nihil solum, quod non cum ratione possit conciliari. Meminerimus distinctionis eius, inter esse supra, & contra rationem, de qua iam supra diximus. Duo enim contradictoria simul vera esse non posse, apud omnes in confesso est. Quare vero & hoc principium admittimus, distinctam vero eius applicationem tantopere reformidamus?



dienum multis nomen est; recte iam auctor noster quoque monet, *daß die besten Philosophi*, qui nempe non nudis vocibus, aut distinctionibus quibusdam scholasticis, sensu omni atque subiecta vi carentibus, se illudi passi sunt, hoc, modo explicato, sensu *die schlimmsten Theologi gewesen*. Quoniam illi enim rationem suam probe excoluerunt, non possunt, contra rationem suam, quicquam pro vero habere, adeoque nullo ipsis modo convenire amice cum theologis, hoc sensu spectatis, potest. Ne minimo quidem tamen hoc ipsum illis quoque est dedecori, adeoque nemo etiam ab omnibus illis, quae ex evidentissimis principiis philosophicis consequuntur, admit- tendis probandisque hoc ipso debet absterri.

## §. XXIII.

Atque hunc quidem philosophandi modum si sibi paulo fa- (IV.) *Ca-*  
 miliariorem, successu temporis, *posthabitis omnibus auctori-* *uendum est,*  
*zatis & antiquitatis praeiudiciis*, reddiderint, qui philosophiae *ne, quic-*  
 operam nauaturi in posterum sunt, ut nihil nempe metuant *quid aduer-*  
 conclusiones admittere, quae ex certis evidentibusque princi- *sus thesu-*  
 piis necessario fluunt, cuiuscunque etiam eadem repugnent sy- *aliquam*  
 stemati; tum demum multae, haecenus vel incognitae, vel ti- *philosophi-*  
 midiuscule saltem, ob communia praeiudicia, propalatae, ve- *cam a rei*  
 ritates philosophicae, vel eruentur primum, vel securius sal- *ignaris*  
 tem publice tradentur, quam haecenus quidem fieri licuit. *dicitur, id*  
 Quanta vero, quaeso, tum, in omnibus fere disciplinis, phi- *statim pro*  
 losophiae futurae accessiones sunt? Multi enim non ea solum *cinsdem*  
 hodie reticent, quae alicui *theologorum systemati* repugnant, *confutatio-*  
 sed &, quae, etsi ad theologiam ipsam nullum respectum infe- *ne habea-*  
 runt, *theologis* tamen haecenus aliter placuerunt; eo quod vel *tur.*  
*coecam* ipsis, quam tamen ipsi a se amoliri prudentiores theo-  
 logi solícite student, addixerunt *obedientiam*, vel, *contra*, per-  
 uerissimam illam de ipsis opinionem animo conceperunt,  
 quod nullum magis inexorabile, quam *theologorum*, sit *odium*.

H

In



In quo quidem et si illi, mea sententia, mirifice falluntur; vera tamen haec apud multos causa est, quod, licet aliquid ex principiis philosophicis infallibili ratione consequi obseruent, intimiusque perspiciant, ab eo tamen vel tacite secum approbando, vel publice saltem recipiendo, sibi metuant, si theologi illud quomodocunque improbari videant. Quum vero quo minus verae sanaeque theologiae, quicquid ex rationis dictamine fluit, repugnare queat, ratio illa iam supra adducta (§. X.), obstat; tanti quidem hoc posterius fieri, quam vulgo solet, non debere videtur. Quoniam vero vix spes vlla est, fore, ut ea, quae ex principio aliquo euidentissime consequitur, conclusio philosophica, ab omnibus etiam, principii veritatem admittentibus, statim recipiatur, quin potius semper superfuturi videntur, qui eiusmodi conclusionibus, quae horum vel illorum systemati aduersari vident, manibus, quod dicunt, pedibusque repugnent; id saltem cauendum nobis IV.) est, ut ne, *quicquid aduersus thesism aliquam philosophicam, a rerum imperitis, ex confusis nonnunquam de re illa ideis, declamatur, id statim pro confutatione eiusdem habeatur.* Est enim is iterum peruersissimus plerorumque mos, ut aduersus aliquam sententiam aliquid vel *dicere, vel scribere, idem ipsis sit, ac eandem confutare*, indeque & sententiam aliquam, aduersus quam aliquid ab hoc vel illo scriptum norunt, tanquam iam confutatam, errorisque conuictam, reiiciant. Nisi vero commune hoc multorum praecudicium deposuerimus, parum certe vel omnis, quae in philosophia olim tentabitur, reformatio apud alios proficiet. Quoniam semper enim erunt, qui veritatibus, ab aliis traditis, contradicent, nunquam saltem illi defuturi videntur; semper etiam erunt, qui, si contradicere ipsis idem, ac confutare, est, pro erroribus simul easdem habebunt, adeoque & se non minus, quam alios, in veritatis cognitione impediunt, vsuque suo, ex reformatione eius sperando, philosophiam priuabunt,



uabunt, indeque horum saltem intuitu idem erit, ac si nulla omnino facta in eadem esset emendatio.

## §. XXIV.

VLtimo tandem loco illud adhuc circa philosophiae emendationem notandum esse putamus, *vrne V.*) ea, quae non satis intelligimus, cum illis, in quibus manifestam contradictionem demonstrare possumus, inter se confundamus, atque illa non minus, quam haec, reiicienda esse censeamus. Etenim euenit non raro, vt *existentia* alicuius rei clarissimis probari argumentis possit, cuius tamen *essentiam* veram ignoramus, neque, quo eandem modo nobis debeamus concipere, nouimus. Etsi ergo id extra controuersiam positum, ad veritatis etiam cognitionem promouendam accuratae omnino tenendum, est, quod in *obscuris, confusisque*, circa res philosophicas, *ideis* acquiescendum non sit, sed eo potius elaborandum, vt ad *distinctas* vbiuis ideas perueniamus; multarum tamen rerum, in philosophia *occurentium*, natura non patitur, vt de ipsarum *essentia* distinctas nobis ideas possimus acquirere. Quodsi ergo de *existentia* earundem modo *claras distinctasque* ideas habuerimus, temerarium foret, propter priorum illarum defectum rem aliquam reiicere, atque pro *figmento* quodam *philosophico* habere. Dicitur autem vix potest, quam late huius obseruationis *usus*, in omni fere philosophia, pateat, atque quam saepius eiusdem vel neglectus, vel ignorantia, viros quoque eruditos, in rerum philosophicarum inquisitione, intransuersum egerit. Vt enim vnum saltem, alterumue, exemplum, illustrationis loco, iterum adducamus, quis est, quem lateat, quam male multis recentiorum philosophorum *atomi*, quibus omnis materia constare ab aliis censetur, audiant, cuius tamen rei nullum habent fundamentum aliud, quam quod *nullum* sibi de atomo formare *conceptum*, neque *sine extensione* eandem *cogitare*, possunt, quod tamen ipsum



atomi naturae omnino repugnat (b)? Verum quum *existentia atomorum* vel ex eo satis luculenter demonstrari possit, quod materia *infinitam divisionem* non admittit; insufficientis foret, negare propterea atomos velle, quod, *quid* atomus sit, non satis distincte nouimus (c). Quis porro nescit, quam difficile plurimis persuaderi possit, quod *spatium* aliquid vere & realiter, hinc a corpore, hinc a spiritu, distinctum sit, quod, *quid* spatium sit, qualemque sibi de eodem formare ideam, si neque spiritus, neque corpus sit, debeant, ignorant (d)? Sufficere vero nobis debebat, quod satis distinctam de ipsius, tanquam *rei*, a corpore & spiritu distinctae, existentia habeamus ideam (e), neque propterea statim, quod, *quid*, quale & quantum, sit, animo comprehendere non possumus, pro figmento & non-ente illud statim erat habendum, uti multis quidem familiare est. Et, quae, quaeso, alia ratio est, quod *spirituum* omnium *existentiam* nonnulli in dubium vocant, quam, quod, concipere distincte, *quid* spiritus sit, nequeunt, alique, contra, *corpora dari* negant, quam, quod modam, quo singulae materiae atomi cohaerere inter se queant, quum extensione tamen omni careant, nulla imaginationis assequi vi possunt (f)? Verum, quamdiu in his omnibus nulla demonstrari contradictio potest, negari propterea, quod concipi distincte nequeunt, non possunt, si *existentia* modo illorum clare perspicuaeque demonstrata fuerit. Quapropter, uti in philosophiae emendarione is operam & oleum perderet, qui circa distinctas de his, & eiusmodi aliis,

(b) Vid. v. c. quae CLERICVS hanc rem afferit *phys. lib. 5. cap. 4. n. 8.* (c) conf. quae in *institut. physie. §. X. sq.* dicta sunt. (d) vide, quae de spatio afferuntur apud STURMIVM *phys. electiv. tom. 1. p. 28. sq. 43. sq. & 53. sq.* & add. quae inter LEIBNITIVM & CLARCKIVM recentissime ea de re disputata sunt *dans recueil des diverses pieces*, ubi passim ea de re disseritur, & celeb. WOLFFII *metaphys. §. 46. sq. & 134. sq.* (e) vnde id patet, in *institut. phys.* a nobis demonstratum est §. XVI. sq. (f) est scilicet hoc argumentum *idealistarum* praecipuum, ob quod materiae & corporum possibilitatem in dubium vocant.



liis, rebus formandas ideas laborare; sic parum, contra, philosophiae emendationi consuleret, qui omnia illa, quae concipi distincte nequeunt, neganda, atque ex philosophia proferenda esse, censere veller: vnde ab utroque illo vitio, inprimis vero posteriori hocce, sedulo nobis, circa philosophiae emendationem, cauendum est, ne, dum infelix lolium, sterilesque auenas, ex agro philosophico exterminare studemus, viles simul euellamus herbas, seminaque foecunda. Etsi enim id extra controuersiam positum est, quod *voces, nihil significantes*, tolerari in philosophia nullo modo debeant, adeoque nudi, omnique conceptu vacui, soni admittendi non sint; hoc tamen nomine non illa nobis veniunt, de quibus *nos* nullum *nobis* formare conceptum possumus, sed quae *in se nihil veri* atque *realis* significant, atque de quibus demonstrari non potest, quod *eiusmodi quid*, quale vocabulo ipso indicatur, qualecunque demum illud sit, *vere existat*. Inter eiusmodi vero voces, quibus *nos nullam proprie ideam iungere* possumus, etsi rem aliquam veram, realem, & citra omnem intellectus nostri operationem existentem, qualiscunque etiam illa sit, denotent, & illas, quae *in se nihil veri*, realis atque citra intellectus operationem existentis, *significant*, multum omnino discriminis in interest, neque priores illae in numerum vocabulorum, nihil significantium, citra manifestam repugnantiam, referri quomocunque possunt. Quicquid enim eiusmodi quid significat, cuius *existentia* solidis demonstrari rationibus potest, & iam demonstrata est, id ipsum vero quo iure vocabulum nihil significans appellari possit, non video. Quandocunque ergo voces, nihil significantes, omnique conceptu vacuas, ex philosophia proferendas esse, & hic, & alias saepius, monuimus, non illas, quae tales *in relatione ad nos*, nostramque concipiendi & intelligendi vim, sed, quae *absolute*, & *in se spectatae*, tales sunt, intelligimus.

Atque



Atque haec quidem sunt, quae in praesenti de *reformatione philosophica* dicere, e re fuit visum. Quodnam vero *philosophi, circa novas inuentas veritates, sit officium*, quae hic ipsi circumspectione opus sit, vt ne vel vera reiiciat, vel falsa prober, de eo alia occasione dicemus (g).

(g) Est enim hoc philosophi officium ab eo, quo *ipse circa novas inueniendas veritates, seu philosophiae emendationem & reformationem, versatur, toto, quod aiunt, coelo diuersum.*

S. D. G.





Wittenberg, Diss., 1730. A-K



f

TA 70L

mit 14. Stk. bisher verknüpft


v178











13

1851

Q. D. B. V. DE 1730 13 15 Vol. 2

**REFORMATIONE  
PHILOSOPHICA  
CONDENDISQVE LIBRIS IN  
PHILOSOPHIA SYMBOLICIS**

*DISSERTATIO POSTERIOR,*

QVAM

ANNO AVGVSTANAE CONFSSIONIS  
SECVLARI SECVNDQ

AD DIEM XXVI IVLII

IN AVDITORIO MAIORI

*PRAESIDE*


**SAMVELE CHRISTIANO  
HOLLMANNO**

PHILOSOPHIAE PROFESSORE PVBLICO EXTR. EIVSDEM  
QVE ORDINIS ASSESSORE ET H. T. DECANO  
*TVEBITVR*

**CHRIST. GODEFROB IVNGNICCELIVS**  
GADEGASTO-SAXO.

*VITEBERGAE*

LITTERIS EPHRAIMI GOTTLOB EICHSFELDII.



1730

